


97

J. W. S.


CVRRVS
TRIVMPHALIS
ANTIMONII.
Romijn de Hooghe
fecit. 1671

THEODORI KERCKRINGII
DOCTORIS MEDICI
COMMENTARIVS
IN
CVRRVM TRIVMPHALEM
Antimonii Basilii Valentini, à se latinitate donatum.



AMSTELODAMI,
Sumptibus ANDREÆ FRISII.
M. DC. LXXI.

ILLVSTRIBVS.
VENERABILIBVS.
SANCTISSIMIS.
ET.
FORTVNATISSIMIS.
VIRIS.

VERAM. PHILOSOPHIAM. ADEPTIS. VIRTVTIS. CVLTORIBVS. FORTVNÆ. DOMINIS. MVNDI. CONTEMPTORIBVS. QVORVM. VITA. IN. SANCTITATE. SANCTITAS. IN. SCIENTIA. SCIENTIA. IN. OPERE. OPVS. IN. ÆGRORVM. ET. PAVPERVM. SVBLEVATIONE. CONSISTIT.

NOn arrogantiæ, ſed venerationis eſt, Viri ſanctiſſimi, juxta ac fortunatiſſimi, quod vos alloqui non reformidem, quos ignotos miror, colo, veneror, & tantum non adoro. Scio enim quales ſitis, & quid adepti ſitis, agnoſco, tametſi qui ſitis, prorſus ignorem, & ſi ſcirem, non niſi ignoto nomine compellarem, nec alio titulo vobis has in

Chy-

Chymica ſcientiæ primitias, quod cum obſervantia facio, dedicarem. Nullam inde exſpectans, aut flagitans mercedem aliam, quàm ut favoris veſtri radii aliquando mihi affulgeant, meque (quem vos rectam viam inſiſtere, & ad templa illa ſapientiæ ſerena, quâ decet ſemitâ, contendere ex ipſo hoc opere intelligetis) iis, quæ vobis notiſſimæ ſunt, rationibus promovere dignemini.

mini. Et quam ego gratiam hîc Philochymicis publicè facio in iis, quæ ſcribere, & palam loqui Author Apollo, nec Præſes vetat Mercurius, eam mihi jam paulò ulterius provecto, & ad claſſem, ut cum Baſilio noſtro loquar, altiorem promoto, ne denegetis. Adfuit mihi, ut veſtro vobiſcum agam idiomate, in ſomnis Mercurius, atque avidè per vias ordinarias decurrentem, retraxit. Me,

in-

inquit, non vulgari indutum tunicâ, ſed Philoſophico cinctum palliolo intuere, & ſequere. Quo dicto ſaltu præcipiti dedit ſe in viam, & quâ datâ portâ ſaltitando de campo in campum poſt viginti circiter ſuperata prædia, laſſus reſedit, & ad me converſus (ſecutus enim eram in ſpiritu) viden, inquit, me jam alium, & libero hoc curſu fatigatum, non juvenilibus iſtis exultantem

viribus , quibus omnia proſtraviſſem , niſi liber datus fuiſſet transitus. Ego tam amicâ compellatione excitatus, orare cœpi , & dixi. Mercuri facunde nepos Atlantis , & pater Chymicorum omnium , quandoquidem huc me deduxiſti , deductumque tam benigno dignaris alloquio , monſtra , quæſo , iter ad inſulas illas beatas , quas promiſiſti oſtendere filiis tuis electis. Ille continuò ; me-

mi-

miniſtine, dum è laboratorio tuo me proripui, ibi veſtem quandam rubram proprio meo tinctam cruore relinquere, ita ſaturatam, ut aura nulla colorem difflare, nulla vis omnia vorantis temporis eſſentiam immutare poſſit. Cùm annuiſſem; ageſis, inquit, vola, atque illam mihi actutum adfer huc, ne hoc ſudore madens refrigeſcam; me enim calidè eâ veſtire, & arctiſſimè unire

re desidero, ut intrepidus fixo gressu tecum ad sponsam meam, amore jam languentem, pergam, quæ tot agitata injuriis, toties per aquam acta & ignem, & toties scandere, toties descendere jussa, omnia summâ patientiâ tulit, sperans tandem mecum genitalem intrare thalamum, ut simul producamus prolem illam, regiâ quidem jam inde à nativitate sua ornatam coronâ, quam tamen

tamen non niſi parcè ei licet communicare cum aliis: deducere tamen amicos ſuos poteſt ad palatium, ubi reſidet Rex ille Regum, qui omnibus ad ſe accedentibus, non facilè minùs, quàm liberaliter communicat regnum ſuum. Ubi ego curriculo veſtem attuleram, illâ ſe tam arctè induit, ut non veſte circumdatus, ſed ferreâ pelle cinctus, & armatus videretur: ita vulcanios omnes contemnebat

bat impetus, & arripiamus, inquit, iter. Tantum effatus,

——— campo se immisit aperto;
Ipse ducem haud timidus vadentem passibus æquo.

Atque ita pervenimus ad sponsam, pari virtute & constantiâ confirmatam. Hîc ego vidi mirabile illud connubium, & consummationem matrimonii, unde natus ille regio diademate coronatus

tus filius. Quem cùm ſalutare vellem Regem Regum, & Dominum Dominantium, aſtitit mihi Genius meus, &, ne faxis, inquit, falleris. Prodromus hic ejus eſt, quem quæris, ipſe verò non eſt. Hîc ego inter triſtitiam gaudiumque dubius cùm hærerem. Abi tu, ajebat Mercurius, hoc ſponſale aufer conjugii noſtri munus, & digitis filii ſui annulum abſtrahit aureum; ubi verò ad eos pervene-

ris diſcipulos, qui ipſum viderunt Dominum, eis hoc ſymbolum oſtende. Noverunt illi ramum iſtum aureum, Proſerpinæ antea conſecrandum, quàm poſſis Plutonis intrare palatium; quo viſo, fortè eorum aliquis verbo tibi reſerabit januam illius thalami, ubi reſidet in magnificentia ſua deſideratus omnibus gentibus, ſed ſolis cognitus Philoſophis. Quo dicto, ſcena hæc omnis evanuit,

non

non tamen vanum fuiſſe ſomnium mihi confirmavit ſponſale munus, quod inveniebam in manibus meis, ipſum ex auro, ſed mihi omni pretioſius auro, quod tum oſtendam, cùm veſtros coram dabitur cognoſcere vultus, liberasque audire, & reddere voces. In illud optatiſſimum mihi tempus valete; & Mercurio Genioque omni gratiores apparete de obſcuris, in quibus latetis, nubibus clienti,

ti, & cultori veſtro, facilè ego vos agnoſcam, ubi roſeâ cervice refulgebitis, & ambroſiæ comæ divinum vertice odorem ſpiraverint.

AD
LECTOREM.

Vis me candidè tecum agere, Lector candidiſſime (niſi enim talis ſis, nullus hîc tecum mihi eſt ſermo) habes hîc Baſilium Valentinum, non quidem ad Romani ſermonis delicias, ſed ad intelligendi utilitatem latinè loquentem, cum commentariis quibusdam meis. Mecum non niſi Germanicè, & ſine commentatore locutus eſt,

est : ego eum, promissis ejus illectus, iisdemque fidens, diligenter legi, quidquid faciendum proponit, expertus sum, erravi sæpe, sumptus multos inutiles feci, decies aliquando processum eundem expertus, successum nullum habui, non Authoris, sed meo semper (candidè fatenti crede) vitio. Est enim Basilius Chymicorum Princeps omnium, quòd sciam, præstantissimus, omnium syncerissimus, omnium clarissimus.

mus. Eo lecto & intellecto habes, quicquid in Chymia sperari potest: hoc tibi de eo spondeo, hîc fidem meam pro eo interpono. Non me assecutum omnia, ne erres, profiteor; quis enim hoc vel possit, vel ausit? sed ex tot rebus, quæ hoc Authore assecutus sum, de ceteris spem concipio, & hoc Chymicorum alimento, quod non tantum inanis est fumus, me sustento. Atque hæc de fide

&

& laude Authoris ſufficiunt, qui his non credit, nec ſi plura addam, iis fidem habebit. Commentarium, quem adjunxi, non commendo: tantum dico, me encheireſes quasdam breviter annotare, parvi illas quidem, ut apparet, momenti, eas tamen, quarum ignorantia mihi multis conſtitit millibus. Si tibi non eſt tanti, eos ſumptus evitare, nil me duce eſt opus, da te in viam; errando fortè diſces,

ſi nec

ſi nec quærendi patientia, nec burſæ indulgentia te deſtituent, his ego ducibus ſum uſus, jungendo iis perpetuam attentionem, & accuratam meditationem comites. Non alios habui, non aliis tibi abſolutè eſt opus, me miſſum face. Sin autem breviore tempore, parciore ſumptu, minore inter errores tædio pervenire vis, quo iter intendis, non ero tibi dux inutilis, aut ſaltem, ubi diſtraheris

heris vario errore viarum, index incommodus. Vale, & si me audis, me utere, multis (quæ hîc explicare non vacat) perfruere commodis. Iterumque vale.

THEODORI KERCKRINGII

Doctoris Medici

COMMENTARIUS

In

Currum Triumphalem Antimonii Basilii Valentini, à se latinitate donatum.

QVandoquidem ego Basilius Valentinus religiosis votis Ordini Sancti Benedicti vivam adstrictus, isque status alium quendam requirat sanctitatis spiritum, quam eum, quo vulgo mortales in profano hoc aguntur sæculo; meum esse putavi ante omnia in libelli hujus principio declarare, quid pio Spagyro, insatiabili artis hujus desiderio flagranti, scitu necessarium sit; quid agere, quo col-

limare debeat, ut ea rei totius fundamenta jaciat, quæ ſtabilia ſint, ne domus ventis agitata aliquando fatiſcat, & totum ædificium fœda involvatur ruina, quod aliàs ſolidioribus, & firmioribus innixum principiis, ætatem tuliſſet. Quæ admonitio mihi ex officio religioſi videtur & eſſe, & fore ſemper neceſſaria; etiam tum, cum omnes occiderimus, nec quiſquam eorum, qui nunc ſunt, ſeu potens, ſeu humilis ſit colonus oculis hominum obverſabitur. Intereſt enim mortalium meditationes has poſt me ſupereſſe, non tantum ut divinæ majeſtati honor ſit & gloria, ſed etiam ut homines ei ſynceram præſtent in omnibus obedientiam.

Quinque capita pio Spagyro ſcitu neceſſaria.

In hac autem meditatione mea tandem inveni quinque prçcipua eſſe capita, quæ omnibus

bus tum ſapientibus, tum ſapientiæ artisque noſtræ aſſectatoribus in primis ſunt conſideranda. Quorum primum eſt *invocatio Dei.* Secundum *naturæ contemplatio.* Tertium, *vera præparatio.* Quartum, *modus utendi.* Quintum *utilitas & fructus.* His enim qui minus attenderit, nunquam inter veros Chymicos locum obtinebit, neque perfecti Spagyri numeros omnes adimplebit. De his igitur quinque capitibus deinceps agemus, eaque in tantum declarabimus, ut opus generale in lucem prodire, & ab attento ſtudioſoque operatore perfici poſſit.

Fieri autem debet *invocatio numinis*, cæleſti quadam attentione, deprompta ex imo cordis puri & ſynceri, conſcientiaque, quæ ſit libera ab omni ambitione, hypocriſi, & *I. Invocatio Dei.*

omnibus vitiis, quibus aliqua cum hisce intercedit cognatio: ut sunt arrogantia, audacia, superbia, luxus, mundana petulantia, oppressio pauperum, & alia hinc dependentia, quæ radicitus cuncta è corde sunt evellenda; ut quando homo ante thronum gratiæ comparere desiderat ad sanitatem corporis obtinendam, id fiat conscientiâ ab omnibus zizaniis liberâ, ut transmutetur in templum Dei sanctum, & ab omni immunditia expurgatum. Neque enim, quod iterum iterumque moneo, Deus irridetur, quemadmodum homines mundani sibi placentes, & suâ sibi plaudentes sapientiâ existimant; non irridetur, inquam, Deus, sed invocari vult reverentiali timore, agnoscique Creator omnium cum debita obedientiæ exhibitione. Neque

que id injuriâ. Quid enim habet homo, quod huic omnipotenti Creatori ſuo non debet acceptum; ſive corpus, ſive eam, quæ in corpore operatur, animam reſpexeris? nonne in hujus alimentum ex mera miſericordia communicavit nobis verbum æternum, & ſalutem promiſit item æternam? nonne corpori procuravit victum & amictum, & ea omnia, quibus negatis corpus vix, aut ne vix quidem poteſt ſubſiſtere. Proinde homini ſunt omnia hæc à Parente illo optimo, qui cælum & terram, viſibilia ſimul & inviſibilia, firmamentum, puta, elementa, vegetabilia, animaliaque omnia creavit, humili invocatione impetranda. Quod adeo eſt verum, ut certo mihi conſtet, impium nunquam veræ medicinæ, multo minus æterni panis cæleſtis fore participem.
 Sit

Sit ergo omnis intentio & fiducia vestra collocata in Deo, eum invocate & orate, ut impertiatur vobis benedictionem suam, hoc operis vestri sit principium, ut ad finem per illud optatum perveniatis, & tandem voti compotes efficiamini. *Initium enim sapientiæ timor Domini.*

Quicunque ergo sibi propositum habet id quærere, quod inter res terrenas est maximum, præsertim notitiam omnis boni, quod inest creaturis, & Deus liberaliter communicavit hominibus, implantavitque quantum ad vim effectricem lapidibus, herbis, radicibus, seminibus, animalibus, plantis, mineralibus, metallis, rebus denique omnibus, ille abjiciat terrenas cogitationes omnes, seponat quidquid ab iis dependet, & speret solam

ſam cordis liberationem, oretque Deum ſummâ demiſſione animi; ita fiet, ut ſpes liberationis in liberationem veram tandem convertatur: quod nemo revocabit in dubium, qui novit, quod ille ſolus ſit Deus, qui liberabit Iſraël ab omnibus inimicis ſuis, quod re ipsâ præſtabit, non tantum Iſraëli, ſed etiam omnibus eum ſuppliciter invocantibus, & cum intimo cordis gemitu orantibus.

Sit ergo primum caput admonitionis noſtræ oratio, quæ & eſt, & à nobis dicitur invocatio Dei, quæ ſi fiat non ex hypocriſi, & corde ficto, ſed ea fide & fiduciâ, quâ eam faciebat centurio in Capharnao; eá animi demiſſione & defectuum ſuorum confeſſione, quâ prædita erat mulier Chananæa; eâ charitate, quâ Samaritanus excipiebat ſaucium in via

Jerichuntis, infundens vulneribus vinum & oleum, solutisque expensis in hospitio, commendans, ut accurata ejus cura gereretur: si denique in ea spectetur charitas christiana, ut si, quod rogat, impetret, velit id communicare cum proximo suo, tunc omni procul dubio attinget * orationis suæ scopum, divitias, & sanitatem.

Ora-

* Quæ hic fuse præmittit Author, & alibi sæpe interserit de pietate, de cultu divini numinis, & nominis ejusdem invocatione, nec laudare, nec improbare in animo est; sint ista avitæ suæ pietatis indicia, sint synceritatis ejus argumenta, sint fervidi zeli cujusdam per tot tautologias & perissologias sæpius ebullientis signata vestigia: ea quisque pro animi sui sententia, & eâ persuasione, quâ jam inde à puero imbutus est, parvi magnive faciat. Meum fuit ista latinitate donare, eâ ratione ac ordine, quo putabam minimam delicato lectoris stomacho allatura nauseam, & id præterea indicare, quomodo in rem Chymici, & veri Spagyri esse videatur, ea non negli-

negligere. Etenim cum pietas ad omnia valeat, ut oracula nobis tradunt, & præcipuum pietatis exercitium sit oratio, quâ dona cælestia impetrantur ab illo omnium Datore Deo, ad eum nimirum mentem attollendam vult Basilius, etiam inter laboris illas fastidiique plenissimas Chymiæ operationes. Quamvis enim nihil præstaret aliud oratio, mentem certe à cæteris rebus avocatam colligit in sese, attentamque reddit ad id, quod agitur; ex quo fit, ut ad plurima reflectat, eaque animadvertat, quæ illam profecto fugerent, si opus suum perfunctoriè, & in varias res distracta perageret: atque ita precationis auxilio multa accipimus, quæ nos à Deo impetrasse non ingrati agnoscimus. Quam hoc sæpe in spagyricis operibus veniat usui, novit quisquis unquam huic rei omnino deditus fuit: quoties ea, quæ jamdiu quæsivit, nec invenire potuit, uno momento accipit, & quasi supernè infunderetur, aut à genio aliquo dictaretur, cognoscit. In ænigmatibus omnibus solvendis istud usuvenit; si enim magno desiderio illa cognoscendi ardeas, *hæc oratio est*, & mentem quaqua versum agites, variè discurras, multa mediteris, *hæc cooperatio est*, ut non sit otiosa, aut Deum tentans oratio: vana tamen est omnis hæc tua opera, tam diu quàm solutionem non invenis. At si non desperes, sed instes perseverando

2. *Naturæ contemplatio.* Orationem ordine sequitur *contemplatio*, per quam intelligo accuratam ad rem ipsam attentionem, sub quam cadunt hæ considerationes initio adhibendæ. Quæ sint circumstantiæ cujusque rei, quæ materia, quæ

in desiderio, & non cessando ab opere, tandem momento temporis tibi incidit solutio, *hæc est revelatio*, quam non accepisses, nisi desiderio summo orasses, & sedulo adhibendo operam, laboravisses; & tamen non potes percipere, quomodo ex iis omnibus, quæ cogitasti, quæ non erant solutio ænigmatis, ipsa solutio emerserit. Hæc ænigmatis solutio solvet tibi ænigma omnium maximum, quid valeat ad impetrandum tam spiritualia, & æterna, quam corporalia, & peritura bona oratio, videbisque dum ea corde non ficto, sed syncero instituitur, nihil esse accommodatius ad obtinendum id, quod desideras. Atque hæc sufficiant de oratione, quam non frustra Basilius, & omnes cum eo Philosophi prærequirunt ad Chymiam: *pietas enim ad omnia, sed præcipue ad omnium maximum, est utilis.*

quæ forma, unde operationes ejus procedant, unde ſit infuſa & implantata, quomodo ab aſtris generetur, ab elementis conformetur, à tribus principiis producatur & perficiatur.

Præterea quomodo cujuſque rei corpus diſſolvi poſſit, id eſt, reſolvi in primam materiam, ſeu primam eſſentiam, de quo in aliis ſcriptis meis jam mentionem feci, quomodo videlicet ultima in primam, & prima in ultimam materiam commutetur. *

* Quæ de vera Philoſophiæ theōria hic adferuntur, ſunt compendia eorum, quæ Philoſophi tot libris ea ſuper re ſcriptis revelarunt, dicam, an occultaverunt. Attende verbis Authoris, & eum perfectè cognoviſſe videbis ſpiritum illum omnia permeantem, omnibus in rebus præſidentem, ſordibus tamen materiæ, & inquinamentis ubique involutum, à quibus ſi liberetur, redit ad ſubſtantiæ ſuæ puritatem, in qua omnia producit,

Hæc contemplatio, quæ secundam admonitionis nostræ partem absolvit, cælestis est, & spirituali ratione intelligenda: nec enim aliter, quàm spirituali cogitatione hominis, cujusque rei circumstantiæ & fundus perspicitur; estque hæc contemplatio duplex. Altera possibilis, impossibilis altera dicitur. Posterior consistit in copiosis cogitationibus, quæ nunquam ad effectus procedunt, nec ullam formam rei exhibent, quæ sub tactum cadat. Veluti si quis conetur comprehendere æternitatem Altissimi, quod vanum est, & impossibile, imo peccatum in Spiritum Sanctum, Divinitatem ipsam, quæ immensa, infinita, & æterna

cit, & fit omnia in omnibus; super hoc commentari, esset omnes Philosophorum libros circa theoriam tanto studio exaratos, tantâ contentione propugnatos in medium adferre.

na eſt, tam arroganter aggredi, & inquiſitioni ſubjicere incomprehenſibile conſilium arcanorum ejus.

Altera contemplationis pars, quæ poſſibilis eſt, *Theoria* vocatur. Hæc id contemplatur, quod tactu & viſu percipitur, & naturam habet in tempore formatam: quomodo eā juvari & perfici poſſit reſolutione ſui; corpus unumquodque ex ſe edere poſſe, quod in ipſo latet bonum vel malum, venenum vel medicina: quomodo inſalubre à ſalubri ſeparandum, quomodo deſtructio & confractio ſuſcipienda ſit, quâ juſto titulo ſine dolis ſophiſticis purum ab impuro ſegregari & ſeparari poteſt.

Quæ ſéparatio varia manuum operatione, aliiſque variis modis inſtituitur: quorum quidam jam vulgares ſunt per

experientiam, quidam etiamnum ab experientia vulgi remoti. Sunt autem hi, *calcinatio*, *sublimatio*, *reverberatio*, *circulatio*, *putrificatio*, *digestio*, *distillatio*, *cohobatio*, *fixatio*, & hisce non absimiles; quorum gradus omnes inter operandum reperiuntur, discuntur, perspiciuntur, & manifestantur; unde perspicuè apparet, quid mobile, quid fixum, quid album, rubrum, nigrum, cæruleum, aut viride sit, quando nimirum operatio ab artifice rectè instituitur. Fieri enim potest, ut operator erret, & à via regia deflectat, sed ut erret natura, quando rectè tractatur, fieri non potest. Si ergo tu erraveris, eo quod natura non omnino solvatur, & liberetur eo corpore, quo captiva detinetur, redi tu in viam, disce theoriam perfectius, & inquire ac-

accuratius in operandi methodum, ut fundamentum invenias, & certitudinem in separatione rerum omnium: id quod plurimi refert.

Atque hoc est alterum Philosophiæ fundamentum, quod invocationem sequitur; res enim in eo tota versatur, & his verbis continetur. *Quærite primò regnum Dei, & justitiam ejus* per invocationem, *& cætera*, quæ homo in rebus temporalibus quærit, eique ad corporis vel sustentationem, vel sanitatem necessaria sunt, *adjicientur vobis*.

Theoriam, quæ cujusque rei intima perscrutatur, sequitur *Præparatio*, quæ manuum operatione perficitur, ut opus aliquod reale prodeat. Ex præparatione oritur scientia, talis videlicet, quæ omnia aperiat fundamenta Medicinæ. *3. Vera præparatio.*

Ma-

* Manuum operatio requirit diligentem sui applicationem, scientiæ vero laus in experientia consistit, differentiam autem harum dijudicat Anatomia. Operatio ostendit, quomodo res omnes in lucem & aspectum protrahantur, & visibiliter proponantur: at scientia praxin ostendit, & id, unde practicus verus existere potest, & nihil est aliud, quàm confirmatio, quod manuum operatio aliquid boni manifestat, & evocat latentem & abditam naturam foras, eamque in lucem profert in bonum. Quemadmodum

* Cheirogogia in hac tertia parte maxime requiritur, sine qua, non secus ac navis saburrâ carens fluctuat, & incerta vagatur omnis operatio. Hanc calamo exprimere difficile est; plus enim semel videndo discitur, quàm multis paginis conscribendis doceri potest; si tamen non sit grave tibi, hos commentarios una cum Basilio pervolvere, in hac tam necessaria parte, non parum adjuverit.

modum enim in ſpiritualibus præparanda eſt via Domini; ita etiam in hiſce rebus aperienda & præparanda via eſt, ne aberretur à recta ſemita, & tendatur ſine deviis erroribus rectiſſimo ad ſanitatem itinere.

Poſt præparationem, & præcipue poſt ſeparationem boni à malo, quæ fit per reſolutionem, procedendum eſt ad * *uſum pon-* 4. *Modus utendi*

* Per uſum intelligit, quod *doſin* vocant alii, quid enim juvat medicamentum, ſi neſcias, quâ quantitate ſit exhibendum, ut ſanet potius, quàm noceat, aut enecet: experientiâ ſolâ hanc diſcere, periculoſæ plenum opus eſt aleæ, & tamen non aliter omnis hæc doſium diſciplina primo eſt inventa, poſtea verbis facillime traditur: ubi vox viva deeſt, præſtat eſſe nimis timidum, quàm parum prudentem, quamvis ut hoc de antimonio affirmem, cum debitè præparatum eſt, tam eſt innoxium medicamentum, quàm caſſia vel manna. Tota cautio eſt præcipuè circa uſum ejus poſt primas præparationes, in quibus adhuc multum retinet crudæ ſuæ venenoſitatis.

ponderis, seu *dosin*; necubi debito plus, necubi minus adhibeatur: ante omnia enim Medico probè sciendum est, num debile, num vehemens nimis, itemque an nociturum sit, an profuturum medicamentum, nisi impinguare velit cœmeteria cum exitio animæ suæ, & summo famæ detrimento.

5. *Vtilitas & fructus.* Postquam medicamentum corpore receptum est, seque per omnia membra diffudit, ut perquirat eos defectus, contra quos adhibetur, animadvertenda est *utilitas*: potest enim fieri ut medicamentum præparatum diligenter, & pondere debito exhibitum, morbis quibusdam obsit potius, quàm prosit, & potius venenum videatur, quàm medicamentum; hinc accurata debet institui reflexio ad ea, quæ prosunt vel juvant; eaque annotari, ut memo-

mores ſimus eadem in aliis obſervare.

At tam in * *uſu*, quàm in *utilitate* hoc apprime animadvertendum, an vulnus ſit externum & apertum, an tantum internum & latens: uti enim magna eſt horum differentia, ita curationis non idem eſt modus: ideo fundus cujusque morbi cognoſcendus eſt, an ſolis externis remediis curari poſſit, an internè foras pellere oporteat. Si

* Ab adjuvantibus & nocentibus ſumendam eſſe indicationem, vel tyronibus notum eſt. Quæ vero ſubjungit de interna & externa curatione, non adeo ſunt rudia, ut attentionem non mereantur. Quemadmodum & illa, quæ ſatyricæ ſuæ reprehenſioni permiſcet, ſi tam ſapiens ſit ejus lector, ut illa Baſilium miſcere credat, ut minus dignos irriſores Chymiæ à ſacris ſuis arceat, ille ſibi ſapit; dum enim alii ringuntur indignabundi, hic colliget fructus axiomatum, quæ tanquam aliud agens, inter has ſpinas diſpergit; quæ dum tu perlegis Philochymice, ego tantiſper ſilebo.

Si enim centrum interius latet, id medicamenti genus dandum est, quod centrum istud perquirere, apprehendere, & restaurare possit; alias sine fructu inanis erit Medici labor.

Qui morbi externi ab internis oriundi curari debeant.

Præterea si morbus sit exterior, qui ab interna origine oriatur, foveaturve, nunquam per externa remedia intro repelletur; magnum enim incommodum, & tandem sequeretur interitus. Quod vel ex arboris similitudine intelligi potest: si quis enim, dum ea jam germinat, floretve, repellat humores ad interiora unde per nutrimentum terræ prodierunt, tantum abest, ut ad optatum fructum ex eo flore perveniatur, ut etiam oritura sit per violentam conjunctionem humorum, exitum non reperientium, suffocatio.

Magna ergo diſtinctio eſt inter vulnera recentia cæſim, punctim, vel alio modo inflicta, & inter vetera, quæ internè capiunt originem; recentia enim ſolis externis remediis perfectè curari poſſunt: at in iis, quæ internè nutriuntur, parum proderit externa oleorum, emplaſtrorum, unguentorum, & balſamorum applicatio; niſi fons internus obturetur, unde humores ad exteriora fluunt: ubi fons obturatus erit, ceſſabit affluxio, & malum vel ſolâ diætâ facilè curari poterit.

Non eſt artis magnæ vulgare aliquod vulnus recens ſanare, hoc enim quilibet ruſticus facile crudo effecerit larido; ſed occurrere omnibus ſymptomatibus, quæ vulneribus accidunt, & fontem mali exſiccare, hoc opus, hic labor eſt.

Provocatio Medicorum. Adeste nunc, quotquot estis, qui vobis Doctoris utriusque Medicinæ titulum, id est, internorum & externorum morborum Medici arrogatis! intelligite titulum honoris vestri, & conscientiam ipsam vestram consulite, & videte num illum à Deo acceperitis, id est, in veritate possideatis, an eum tantum pro forma, ut ajunt, honoris causâ, usurpetis. Quantum enim cælum distat à terra, tantum differt ars sanandi interna, à sanatione externorum vulnerum. Si à Deo tibi sit datus titulus, idem Deus benedictionem, felicitatem, salutem, & eventus felices dabit; sed si vanus sit titulus, & solummodo ad ambitionem excogitatus & acquisitus, omnia tibi malè succedent: honor tuus corruet, & tibi parabis ignem inferni, qui non magis ex-

extingui, quàm verbis explicari poteſt. Chriſtus enim diſcipulis ſuis dicit, *vocatis me dominum & magiſtrum, & bene facitis.* Quiſquis ergo titulum honoris aſſumit, videat, an bene faciat, an non plus ſibi aſſcribat, quàm ſcit & didicit, qui verus eſt abuſus hujus tituli. Qui enim utriuſque Medicinæ ſe Doctorem ſcribere vult, utramque Medicinam tam internam, quàm externam didicerit calleatque oportet: nec ignoranda eſt ei Anatomia, ut conſtitutionem corporis oſtendere, & à quo membro quisque morbus proveniat, unà cum fonte & cauſa ejus aſſignare poſſit. Sunt etiam ei remedia, quibus morbo occurret, & circumſtantiæ externorum vulnerum intelligendæ. Deus bone! ubi titulus inveniretur, ubi magiſter compareret; quando exa-

examen institueretur, ad declarandam horum utriusque Medicinæ Doctorum ignorantiam?

Antiqui Medici simul Chirurgi erant. Olim, longè ante mea tempora, ipsi Doctores Medicinæ vulnera externa curabant, in eoque partem officii sui sitam esse arbitrabantur: hisce autem nostris temporibus servos assumpserunt, quos hisce rebus impendunt, & hac ratione nobilissima ars ad mechanicam manuum operationem recidit, suntque eorum, qui eam exercent, quidam adeo rudes, ut *neque nare, neque litteras noverint*, vixque scirent *asinum*, ut dicitur, *expellere è segete*. Hi, inquam, se in vulneribus curandis magistros & Doctorum Doctores profitentur, & ut, quod res est dicam, potiori jure isto titulo gloriari possunt, quam tu magnifice Doctor, umbratice

ce Chirurge, & ignorantissime titulorum ostentator, qui te jactas utriusque Medicinæ Doctorem.

Quid porro jam domine Doctor; quid ais Chirurge expertissime? ne, quæso, hæc ægrè feras, aut in pejorem partem accipias; ipse enim statim fateberis, siquidem diligentius te de punctim vel cæsim inflictis vulneribus examinavero, tantum in te ejus rei esse scientiæ, quantum in cerebro gallinacei galli, quem abecedarii pueri solent frontispicio elementaris sui libelli præfigere.

Admonitio authoris ad Medicos.

Ideo omnibus ego cujuscunque status hominibus, qui doctrinæ desiderio tenentur, suadeo; exquirite imprimis à magistris vestris doctrinam veram, quæ in præparatione consistit, & deinde in usu, ita titu-

lum assumptum cum honore possidebitis, hominibus indubitanter plenâ fiduciâ, & re ipsâ opem feretis, & erit cur æterno Creatori ex corde non ficto gratias agatis.

Præter hæc omnia quisque serio secum reputet, quid sibi sit agendum, quid omittendum sit, & an assumpto titulo justè, an injustè utatur. Nam qui titulum quempiam assumit, ei imprimis probe intelligenda est ratio ipsius tituli, & cur eum assumpserit, quodve ejus verum sit fundamentum. Nec sufficit, si de vulgo dicat quispiam (venia sit auribus, ignoscantque mihi homines delicatiores, si de putrefactione agentes rotundè loquamur) hoc est stercus egregium, odorem spirat molestum & gravem, nec scit quâ id ratione fiat, quod homo, qui fortè cibum assum-

aſſumpſit ſaporis odorisque gratiſſimi, optimeque accommodatum, inde confecerit excrementum qualitatibus prædítum ita contrariis, & odorem ſpirans adeo ingratum, & naturæ repugnantem: cujus non alia eſt ratio, quàm naturalis putrefactio & corruptio. Idem evenit in omnibus rebus bene olentibus & aromaticis; incumbit enim Philoſopho inquirere, quid ſit odor, & unde vires ſuas capiat, & in quo vis ejus in utilitatem veram patefieri poſſit: nam fimo fœtenti terra nutritur, & impinguatur, nobilisque fructus ex eo producitur; cujus rei non una eſt cauſa: ſed in immenſum volumen excreſceret liber, ſi omnes generationes & mutationes naturales vel leviter vellemus attingere; *digeſtio* tamen & *putrefactio* claves earum ſunt præci- *Digeſtio & putrefactio ſunt artis Chymicæ præcipuæ claves.*

puæ, quod ignis & aër maturationem quandam producant, qua ex aqua & terra transmutatio poteſt ſequi, atqui & hæc quædam mutatio eſt, qua ex fimo male olenti fragrantiſſimum balſamum, & contra ex balſamo gratiſſimo graveolens fimus produci poſſit. At dices, quid nobis rudia adeo atque abſurda exempla profers? exemplum quidem, fateor, de caula potius ſumptum eſt, quàm ex aula; prudens tamen rerum æſtimator rem altiori pervadens indagine, facile intelliget, quid hæc ſibi velint: quod nempe ex ſummis infima, & ex infimis ſumma efficiantur, ut ex medicamento venenum, & ex veneno medicamentum; ex dulci amarum, acidum, & corroſivum; & contra ex corroſivo res alia utilis.

At

At bone Deus, natura à nobis hominibus quodammodo indignatur tota pervideri! cum vitæ noſtræ tempus conſtitueris adeo breve, & tu verus omnium judex multa reſervaveris tibi in creaturis, quæ non ſcientiæ, ſed admirationi noſtræ reliquiſti, quorum inſpector & judex tu ſolus eſſe voluiſti, concede mihi, ut ad finem usque vitæ conſervem in corde meo te, & Servatorem meum, ut præter ſalutem corporis, & quæſtum, quem liberaliter communicaſti, etiam ſalutem animæ, & ſpirituales divitias poſſim acquirere, qua de re me dubitare prohibet miſericordia illa tua, quâ tu animæ meæ ſulphur, & balſamum pro me miſero peccatore in arbore crucis effudiſti, diabolo quidem venenum mortiferum, nobis autem peccatoribus præ- *Natura imperſcrutabilis.*

ſentiſſimum medicamentum. Ego certe ſano fratres meos, quantùm ad animam ſpectat, oratione; ſecundùm corpus autem aptis remediis ex medicina petitis: ſpero itaque illos viciſſim operam daturos, ut ipſi mecum, & ego cum illis tandem inhabitemus tabernaculum altiſſimi, in eoque Deo noſtro æternum perfruamur.

Omnibus creaturis ineſt ſpiritus vivificus.

Sed ut revertar ad Philoſophiam antimonii, intelligat ante omnia lector meus res omnes in ſe continere operativos & vivificos ſpiritus, qui corpus inhabitantes ſe cibant, alunt, & ſuſtentant ex corpore; nec elementa carent his ſpiritibus, qui permittente id Deo vivo, ſive boni ſint, ſive mali, domicilium in iis quærunt. Homines & animalia in ſe habent ſpiritum vivum, & operantem, qui cum receſſerit nil niſi cadaver

daver conſpicitur : herbis & fruticibus ineſt ſpiritus ſanitatis, aliàs nulla præparatione ad uſum medicinæ redigi poſſent. Metalla & omnia mineralia inſidentur obſidenturque incomprehenſibili ſuo ſpiritu, in quo præcipuè conſiſtit vis, virtusque eorum omnium, quæ efficere poſſunt; quod enim ſpiritu caret, vitâ caret, nec ullam vivificam vim in ſe continet; ſcito ergo in antimonio etiam eſſe ſpiritum, qui efficit, quidquid in illo vel ex illo ratione & modo inviſibili, non ſecus ac in magnete vis quædam inviſibilis abſcondita eſt, de qua fuſius ſuo loco agemus cum de magnete tractabimus.

Sunt autem genera * ſpiri- tuum

* Quæ ſequuntur de ſpiritibus, nonnihil confuſa videntur ex ſententiis quorundam Theologorum, qui de ſpiritibus igni, aëri, & cæteris

Varia spirituum genera. tuum varia, visibiles intellectū & cognitione spirituali prædi- ti, qui tamen dum volunt tangi vel apprehendi nequeunt, ut homines naturales tanguntur, & præcipue qui in elementis fixerunt domicilium, ut sunt spiritus ignis, lumina, & alia ob-

cæteris elementis inhærentibus, & postmodum æternis ignibus addicendis, & ad inferni loca detrudendis varias habuerunt opiniones, quod nos cum Basilio, utpote nobis incognitum, divinæ scientiæ permittemus dijudicandum: cæterum quod de antimonii, aut cæterorum Chymicorum spirituum vi, potentiaque admirabili ille subjungit, & nos toties cum summa admiratione vidimus, tantum de materialibus spiritibus intelligemus, qui certe tantarum sunt virium, tamque mirabilia efficiunt, ut de spiritibus illis, quos phantastici quidam, melancholiâ imaginationem pervertente, se videre, & cum iis colloqui comminiscuntur, majora nunquam, aut miranda magis sint prodita scriptis, aut ab iis, qui mentiendi licentiâ alios vel terrere, vel oblectare conantur, unquam narrata esse meminerim.

objecta formaliter lumen ex ſe ſpargentia : quales aërei, qui in aëre habitant : in aquis ſpiritus ſunt aquei: & in terra ſui ſpiritus terreni, quos appellant *viros terreſtres*, qui in terris, divite aliquâ venâ præditis, præcipue reperiuntur, ibique ſeſe oſtentant, ac ſe nobis aperiunt. Hi ſpiritus ſenſibus & intellectu pollent, artes norunt, & ſe mutare ſciunt in diverſas formas, usque ad tempus judicii ſui; an autem jam nunc pronunciata ſit adverſus eos decretoria ſententia, an ne adhuc quidem, relinquo divinæ Majeſtatis providentiæ, quem nihil latet.

Alii vero ſpiritus, qui ſermonis ſunt expertes, neque ſe poſſunt actu ipſo viſibiliter oſtendere, ſunt ii, qui in animalibus, ut hominibus, & ſimilibus habitant, in plantis item &

mineralibus; habent nihilominus in se occultam & operativam vitam, & se manifestant, & in lucem prodeunt vi sua efficaci operandi, quam in se & secum ferunt, testanturque apertissimè virtutem sanandi, dum ea ope artis illis eripitur, & à corpore eorum separatur.

Eodem prorsus modo efficax spiritus & vis operatrix antimonii edit sua dona, eaque distribuit inter homines, quando à corpore suo prius solutus, & à vinculis suis liberatus est, ut jam penetrare possit, & adhiberi in eos usus, quos sibi artifex in præparatione proposuit. Oportet autem ut artifex & vulcanus consentiant: ignis dat seperationem ad vim operativam, artifex autem format materiam. Sicuti faber ferrarius utitur unius essentiæ igne, etiam ferrum unica ejus materia

Vulcani cum artifice consensus.

ria

ria eſt, unde omnia ordinat ad tam diverſa inſtrumenta formanda; jam enim veru, jam calceos equorum ferreos, jam ſecurim, jam alia innumera facit, quorum unumquodque ei inſervit uſui, ad quem ab artifice deſtinatum eſt; licèt una fuerit materia, quæ in tot uſus fuit præparata. Ita ex antimonio varia opera ad diverſos uſus confici poſſunt; in quibus faber eſt ipſe artifex, qui format; vulcanus eſt quaſi clavis, quæ aperit; operatio & utilitas in medium producit experientiam & uſum.

O ſi veſani homines veras aures haberent ad audiendum! & veros oculos, & intellectum ad non tantum audiendum, quod ſcribo, ſed ad intelligendum arcanum, & ſcientiam uſus; profecto non haurirent inſalubres & turbidas illas po-

tiones, ſed properarent ad limpidos hoſce fontes, & biberent ex puteo vitæ.

Sciat ergo mundus me ſciolos illos Doctores, qui ſapientes videntur, oſtenſurum ſtolidos & veſanos eſſe: & contra me effecturum, ut multi inerudití, ſed ſcientiarum cupidi diſcipuli re ipsâ in veros evadant Doctores.

Omnes itaque mortales, qui gemebundi ad ſcientiam aſpirant, hic corde læto, certâ fide datâ, & bonâ conſcientiâ citatos, & invitatos volo, ut velint aſſeclæ fieri doctrinæ meæ, & ſcripta informationesque meas accuratè percurrant, ita votorum ſuorum tandem compotes facti, laudem meam ex ſepulchro excitabunt, & nomen meum mortale reddent immortale commemoratione laudum mearum perpetuâ,

quam-

quamdiu cælum ſydera paſcet; cui vero poſt mortem meam placuerit in ſchola contra me diſputationem quampiam inſtituere, huic ſcripta mea affatim reſpondebunt, & certus ſum diſcipulos meos nunquam oblivioni tradituros acceptum à me beneficium, quo ſemper obtinebunt imperium veritatis, quod & mihi ſemper fuit, & illis erit ad oppreſſionem mendacii usque ad finem mundi.

Antimonii varia genera. Sciat etiam benevolus, & ſyncerus artis ſpectator antimonii duo eſſe genera multum inter ſe diſtincta: alterum eſt pulchrum, purum, aureæque cujusdam proprietatis, idque plurimum habet mercurii: alterum quod ſulphuris habet plurimum, nec auro eſt adeo amicum, ut prius, diſtinctum pulchris, longis, & ex albo

ſplendentibus ſtriis; ideoque alterum altero aptius eſt ad uſum tam Medicinæ, quam Alchymiæ: quemadmodum ſi caro piſcium cum carne aliorum animalium comparetur, licèt utraque ſit & vocetur caro, magnam tamen ab aliis carnibus habet differentiam; eadem eſt antimonii ratio.

Multi quidem ſcribunt de virtute interiore antimonii, ſed pauci eorum vel docuerunt verum fundamentum virium, quibus eſt præditum, vel invenerunt, quâ ratione, quove modo eas acceperit, proindeque tantum in verbis fundatur eorum doctrina, & ſiſtit citra verum fundamentum, amittuntque fructum, quem eâ ſcriptione aſſequi ſperabant.

Ad ſcribendum vero de antimonio requiritur profunda meditatio, mens late ſe explicans,

cans, & multijuga doctrina de præparatione, de vera ejus anima, in qua utilitas omnis ſita eſt, & quâ cognitâ indubitatum potes ferre judicium, quid in eo malum, quid bonum ſit, quid medicina, quid venenum. Nec enim res eſſet parvi momenti vero examine in antimonium inquirere, eoque in eſſentiam ejus fundamentaliter penetrare, & ſtudio ardenti in finalem ejus notitiam pervenire, quo ipſi venenoſitas (adverſus quam imperiti imperitè voces ſuas tollunt) adimatur, & ipſum in meliorem ſtatum medicinæ, omnis venenoſitatis expertem, mutetur, præparetur, & uſurpetur.

Multi adeo Anatomici antimonium miris modis vexarunt, torſerunt, & cruciaverunt; ut vixdum verbis deſcribi, nedum credi poſſit; nihil tamen, ſi

res

res ad vivum exigatur, effecerunt, quia veram ejus animam non quæsiverunt, ideo ne quidem eam, quam ipsi quærebant commentitiam ejus animam, invenerunt; nigris enim coloribus via ante oculos eorum obscurata est, ideo neque observare potuerunt eam, neque cognoscere.

Antimonium circulo comparatur. Est antimonio id cum mercurio commune, ut circulo rotundo, cujus nullus est finis, comparetur, qui ex omnibus coloribus componitur, in quo semper eò plus invenitur, quò diligentius inquiritur, modò rectâ viâ, & debito ordine procedatur. nec unius hominis vita sufficit, ut omnia perdiscat ejus mysteria. Est venenum, præsentissimumque venenum, etiam est expers veneni, & medicina præstantissima, sive extrinsecus, sive intrinsecus

ad-

adhibeatur; quod quàm plurimos latet ob cæcitatem eorum, idque incredibile, ſtultum, & vanum judicant, quod illis propter imperitiam eſt ignoſcendum, & danda ea venia, quam ſolius ſtupiditatis nomine merentur; id tamen in iis ferendum non eſt, quod nec hîc, nec usquam doceri cupiant, & melius informari.

Antimonium omnibus quatuor primis qualitatibus prædi-tum.

Antimonium omnibus quatuor primis qualitatibus eſt præditum, eſt frigidum & humidum, eſt rurſus calidum & ſiccum, accommodatque ſe ad quatuor anni tempora, eſt volatile item & fixum; volatile ejus non eſt expers veneni, fixum contra liberum eſt omni venenoſitate, quod mirum eſt adeo, ut antimonium unum ex ſeptem mundi reputetur miraculis, de quo tot ſcriptores egerunt, neſcientes ipſi quid ſcri-

pſe-

pserint. * Nullus hactenus ante me fuit, hodieque nullus invenitur, qui potentiam, virtutes, vires, operationem & efficaciam tandem ita perdidicit, & omnem ejus energiam ita profunde penetravit, ut nihil amplius in eo lateat inveniendum, quod experientiâ non possit

* Hic se in laudes antimonii diffundit. Lege, lege Philochymice nihil hyperbolicum, nihil Thrasonicum reperies; non exhauriet laudes Basilius dicendo, quia nemo hactenus vires ejus omnes cognoscere potuit experiendo: multa vidimus, multa quotidie nova inveniuntur à curiosis scrutatoribus, sed plura restant invenienda: adeo ut, quemadmodum fons est inexhaustus in igne (quo enim plura ab eo extrahis, eo plura dat; millies enim, si illi acetum extrahas, millies novum dabit, sine ulla rei ullius additione) ita virtutum, semper novarum inæstimabilis est thesaurus. Natura hoc minerale elegisse videtur, in quo thesauros omnes suos absconderet, ut non immerito *currum* illi *triumphalem* construxerit Basilius, qui novis quotidie ex ignorantiæ castris ablatis ditatur spoliis.

poſſit in lucem proferre. Si quis autem inveniretur, is dignus eſſet, qui curru triumphali circumveheretur, quemadmodum monarchis, & fortiſſimis heroïbus olim poſt prælia feliciter peracta, victoriasque inſignes ab hoſtibus reportatas conceſſum fuit: ſed vereor, ut multis ex noſtris Doctoribus opera ſumenda ſit, ut eos ſibi currus curent conficiendos.

Medicina ante divitias ex antimonio quærenda.

Ita plerumque terreni mundi hujus Magiſtri cogitationibus ſuis immerguntur, ut nihil niſi divitias ex antimonio qùærant, obliviſcanturque ejus ad medicinam & ſanitatem corporis inquirere utilitatem, quæ tamen ante omnia quærenda foret, ut ea in lucem proferendo mirabilia Dei noſtri opera manifeſtentur, & illi detur cum profunda gratiarum actione gloria.

Ne-

Negandum non est plus divitiarum unà cum sanitate in eo reperiri posse, quàm vel omnes simul vos, vel ipse ego possim credere: ipsum enim me in scientia antimonii non nisi discipulum profiteor, quamvis in eo plus viderim, expertus sim, & didicerim, quam vos, & omnes vobis similes, qui magnam vobis arrogatis in eo scientiam, vel jam didicistis, vel umquam discetis. Nemo tamen ideo expavescat, aut de felicitate sua desperet, quandoquidem Deus mirabiliter sua dispensat munera & beneficia; sed postquam mundus ingratitudini suæ immersus, neque æstimavit, neque debitâ reverentiâ agnovit beneficia Altissimi, & divitias sanitati præposuit, Deus quasi telas aranearum prætendit oculis eorum, ut cæcutiant, nec omnia cogno-

cognoſcere poſſint arcana naturæ in forma hujus mineralis abſcondita.

Omnes vociferantur, *divites, divites* volumus fieri! Fateor ad divitias aſpiratis omnes, & cum Epicuro dicitis *primum corpori proviſum ſit, anima tandem etiam quidpiam inveniet*, & cum Mida, ſicut in fabulis eſt, omnia cupitis converti in aurum, quæcunque tetigeritis. Ideo tam multi optatas illas ſuas divitias in antimonio quærunt; ſed cum obliti ſint donum illud Creatoris ſui ſacrificio grati cordis agnoſcere, id, quod ante omnia fuerat procurandum, & amorem proximi poſt terga projecerint, fruſtra equi dentes inſpiciunt, non ætatem enim ejus vireſque magis agnoſcent, quam convivæ in nuptiis celebratis in Cana Galilææ cognove-

verunt opus mirabile, quod Christus ibi operatus est, dum aquam convertebat in vinum. Vinum illud aquam fuisse sciebant, jamque vinum ex eo factum gustu percipiebant, latebat autem eos, quâ id ratione contigerat; reservabat enim sibi Dominus Jesus Servator noster opus illud supernaturale ad ostendendam omnipotentiam suam.

Ita dico uniuscujusque esse investigare mysteria & arcana, quæ Creator creaturis indidit singulis; quamvis enim (ut supra diximus) incredibile sit, nos omnia posse perdiscere, invenire, & penetrare; tamen minimè prohibitum est in ea inquirere, quandoquidem tantum possit studio & solertiâ effici, ut quamvis ipsi defectus aliquis adhæserit, quò minus ad optatas divitias &

& perfectam ſanitatem pervenerit; tantum tamen acquirere poſſit, ut non ſit cur eum laboris pœniteat, ſed potius occaſionem habeat gaudendi & lætandi, quod tantum adeptus ſit, ut Creatori ſuo omni tempore gratiarum actionis debito ſit obligatus.

Quisquis ergo in perfectum antimonii evadere cupit Anatomicum, ei primum animadvertenda eſt ſolutio corporis illius, ut illud debito loco arripiat, & rectam viam ſibi proponat, ne per devia ſeducatur. Secundo loco obſervandum eſt regimen ignis, ne vel nimius ille ſit, vel nimis exiguus, ne nimis calidus ſit, aut frigidus nimis: ignis enim caput eſt rei: hoc ſpiritus vivifici extrahuntur, & ad operandum ſolvuntur: caveat etiam ne vis iſta operativa aduſtione mor- *Anatomia antimonii.*

mortificetur, & omnino intereat.

Tertio usus seu dosis observanda est, ut nempe mensuram debitam inveniat, ut supra à me commemoratum est, dum egi de quinque capitibus ad Alchymiam requisitis, nunc autem tantummodo per transennam instar parabolæ repetitur.

Per resolutionem caput rei proponitur; igne verò percoquitur ad utilitatem. Ita lanio bovem disscindit, & in partes dividit; sed homo frui carne istâ non potest, nisi calore ignis percoquatur, quâ ratione carni rubra substantia eripitur, & in album alimentum præparatur. Si homo fame coactus crudam illam & rubram carnem devoraret, potius venenum ei esset, quàm medicina, eò quod naturalis calor stomachi debilior sit,

quàm

quàm ut corpus illud crudum concoquat digeratque. Hac itaque ratione poteris, amice chare, concludere, cùm antimonium majus venenum, magisque ſpiſſum corpus minerale ſecum trahat, quàm animalis caro, ut exemplo tibi vulgari jam oſtendi, etiam periculoſius erit ita crudum ſine præparatione, ſeparatione, & percoctione in uſum revocare; ſed venenum erit, manebitque quod citâ morte ægrum interimet.

Ideo antimonio venenoſitas ſua ſic adimenda eſt, ut numquam iterum in venenum converti poſſit, eâ ratione, quâ vinum, dum ſemel per putrefactionem & corruptionem in acetum verſum eſt, nunquam ſpiritum vini ex ſe proferet, ſed ſemper eſt, & ſemper manet acetum. Contra vero, ſi *Antimonio venenoſitas omnis adimenda.*

C per

per distillationem spiritus solus à vino depellitur, ita ut aquositas à spiritu separetur, idemque spiritus postea exaltetur, nunquam deinde in acetum mutabitur, quamvis spatio centum annorum conservaretur, sed manebit semper spiritus vini, non aliter, quàm acetum manet acetum.

Et hæc transmutatio vini in acetum res est admirabilis, quod aliquid è vino producatur, quod antea in vegetabili sua essentia non erat; in quo & hoc notandum, quod in distillatione vini primò prodeat spiritus; at in distillatione aceti contra primùm aquositas, & deinde spiritus prodeat, ut supra loco suo commemoravi, ubi & hujus exempli mentionem feci. Ideoque spiritus vini facit volatilia, quia ipse volatilis est, sed spiritus aceti

Spiritus vini reddit volatilia.

figit,

figit, & ſolida reddit omnia medicamenta, tam mineralium, quàm vegetabilium; ita ut res fixas apprehendant, & morbos fixos depellant. *Spiritus aceti redit fixa.*

* Adverte & obſerva hæc diligenter; hæc enim clavis præcipua plurimi refert.

Antimonium igitur, quod ſuum ſecum habet acetum, ſic præparetur, ut illi omnis venenoſitas eripiatur, nec is, qui il- *Antimonium aceto ſuo præparandum.*

* Non tantum crede Baſilio, & mihi eadem fide & ſynceritate tibi affirmanti: *hæc clavis eſt prima, hæc eſt artis totius præcipua, hæc primam tibi portam aperiet, hæc ultimam, quæ ducit ad Regis thalamum reſerabit.* Sed ut dixi, non tantum crede, ſed adverte & obſerva. Hic ſtas in limine, ſi aberraveris à janua, omnis curſus tuus erit error, omnis feſtinatio ruina, omnis ſapientia ſtultitia. Qui clavem iſtam aſſecutus eſt, & modum novit, quo eâ utatur, qui *encheireſis* vocatur, & vires habet, quibus eam vertat, quas Plutus ſuppeditat, illi aditus patet ad ipſa Chymiæ adyta.

lo utitur, ullum venenum inde hauriat, sed potius omne venenum à se depellat, & fuget.

In quo consistat præparatio antimonii. Præparatio ergo antimonii consistit in clavi Alchymiæ, quâ illud resolvitur, aperitur, dividitur, & separatur, ut est calcinatio, reverberatio, sublimatio, ut antea de eo declaravimus. Item in extrahendo ejus essentiam, in vivificando ejus mercurio, qui mercurius postea in fixum pulverem præcipitandus est; etiam per artem & methodum potest ex eo fieri oleum, quod novum & incognitum illum morbum omnino consumere potest, quem per hasce expeditiones bellicas Galli in regiones nostras invexerunt.

Ostenditur exemplo coctionis cerevisiæ. Idem in aliis præparationibus, quæ ex arte Spagyrica & Alchymia fluunt videre est: ut exempli gratia; si quis ex hordeo,

deo, tritico, aliisque granis cerevisiam velit conficere, omnes hi gradus ei antea perfectissimè percurrendi sunt, quàm ex iis possit essentiam vimque subtilissimam exprimere, & in potum efficacem redigere. Maceranda sunt primò tamdiu in aqua, ut tempus eis sufficiens sit, ut se aperiant, & resolvant; ut in Anglia & Belgio fieri, etiam tum juvenis per ea proficiscens loca, diligenter observavi; atqui hæc ipsa est *putrefactio*, & *corruptio*. Hac clave adhibita, aqua defluat, & frumentum maceratum in acervos arctè componatur ad invicem, itaque justo tempore maneat, dum sponte calorem concipiat, per eumque germine producto grana sibi invicem inhærescant, & hæc est *digestio*.

Hoc peracto grana, quæ sibi

mutuo germinando inhærebant, ſeparantur, & vel in aëre, vel calore ignis exſiccantur, indurant urque, & hæc eſt *reverberatio* & *coagulatio*:

Tum ſic præparatum frumentum in molam defertur, ut comminuatur, & commolatur: & hæc eſt *vegetabilis calcinatio*. Poſt hæc calore ignis coquendo hæc grana, nobilior eorum ſpiritus extrahitur, eodemque aqua imbuitur, quod ante præparationem fieri nequiviſſet, & hac ratione aqua cruda in cereviſiam formatur, hæcque, ut rudi loquamur Minervâ, dicitur, & eſt *diſtillatio*. Lupulus ſi addatur cereviſiæ, eſt ſal ejus vegetabilis, qui eam conſervat, & præſervat ab omnibus contrariis eam corrumpere tentantibus. Hunc modum coquendi aquam in potum per extractionem ſpiritus

tus è granis ignorant Hiſpani, & Itali, & in natali meo ſolo Germania circa medium Rheni paucos inveni hujus artis peritos.

Poſt hæc omnia fit per *clarificationem* nova *ſeparatio*: potui nimirum hoc modo confecto, tantillum fæcis apponitur, quæ motum internum, caloremque in cereviſia excitat, ita ut elevetur in ſeipſa, fitque adjuvante tempore ſeparatio denſi à raro, & impuri à puro, atque hoc modo tandem cereviſia acquirit perfectam & conſtantem in operando vim, ut penetret, eaque efficiat, propter quæ facta, & in uſum eſt reducta: quod antea fieri non potuit, quia ſpiritus operator impuritate ſuâ impediebatur, ne opus ſuum poſſet efficere. In vino autem, nonne idem experientia docet? iſtud non

posse ante tempus illud, quo impuritates ab eo separantur, opus suum adeo perfectè & efficaciter perficere, quàm post separationem puri ab impuro; id quod per ebrietatem innotescit: nec enim non defœcata cerevisia, vel vinum tantum spiritus edet ad inebriandum, quantum post clarificationem. Sed de his verbum post hac non addam.

Post hæc nova adhuc separatio institui potest per *vegetabilem sublimationem*, ut spiritus vini vel cerevisiæ separetur, & per distillationem in alium potum vini ardentis (quod etiam ex fæcum sedimento fieri potest) præparetur. Dum hoc fit separata est vis operatrix seorsum à suo corpore, spiritus per ignem extractus est, & inertem mortuamque habitationem deseruit,

ruit, in qua antea commodè hoſpitabatur.

Jam ſi rectificetur hoc vinum ardens, ſeu ſpiritus vini, fiet *exaltatio*, ut eum ſæpius diſtillando, & certo quodam in operando modo purum & omni phlegmate ſeu aquoſitate liberum ita coarctetur, & quaſi condenſetur, ut poſtea una menſura plus efficiat, quàm antea viginti, pluresve menſuræ; citius enim inebriat, eſtque celer, volatilis, & ſubtilis ad penetrandum & operandum. *

* Heus tu, ſiſte viator iter.

Ne contemnas, aut leviter tranſilias hanc tautologicam, ſed non periſſologicam admonitionem: ſæpius mente recurras ad hanc tabernam cereviſiariam, perſcrutare, contemplare, & perpende ſingula, fortè hoc turbido, & fumoſo gurgite, quod minimè rebaris, piſcis erit. Si in hac luce adhuc cæcutias, neſcio quodnam tibi proderit collyrium: ſi

Exempli applicatio. Hîc te moneo, quisquis es, qui ſcriptis meis cupis erudiri, & ſperas ex antimonio divitias, veramque medicinam conſequi, ut hanc meam intentionem non perfunctoriè percurras, nulla in ea eſt littera, quæ fruſtra ſit exarata, & quæ non habeat ſingularem quandam ſignificationem ad te erudiendum. Imo hic ſemel affirmo, multa hinc inde verba in ſcriptis meis diſperſa inveniri, ad quæ ſi lector quâ convenit ratione adverteret, & cognoſceret in quibus fundamentis nempe præcipua rei capita ſita, & quodammodo ſepulta ſint, non pœniteret illum ſæpius eadem

tam certâ manuductione non pervenias, neſcio quis claudo dabitur ſcipio, quæ ſtupentem diriget itineris demonſtratio. Crede, lege, meditare, labora: & parce tot Chymicorum libris, qui te vario diſtrahunt errore viarum, hic unus dicit omnia.

dem folia revolvere, & quodque verbum vel nummo aureo æſtimare. Cognoſces enim, quamvis exempla à me propoſita ruſticum quid & ineptum ſonent, ea tamen grande aliquid, & magni momenti in ſeſe continere. Sed nolo hîc ſcriptis meis auctoritatem vel laudem conciliare, quod nec opus eſt, nec me deceret; ipſa enim, dum operatio eorum in lucem prodibit, ſatis per ſe ſibi laudis acquirent. De induſtria, & volens tam rudia & vulgaria adfero exempla, quia vis antimonii, & vera ejus virtus altè abſcondita, & profundè in abdito inquirenda eſt: volui rudibus his exemplis te manuducere, & viam ſternere, ut per hæc rem ipſam conſequaris, neque in principio à janua aberres, unde diu vageris, nec inveſtiga-

tionem tuam ad finem optatum unquam perducas. Antimonium enim avi assimulatur, quæ per aërem fertur, & prout eam ventus impellit, se convertit quocunque vult: aëris vel venti partes hîc agit homo, qui antimonium ad lubitum impellere ac movere potest, & reponere eo in loco, quem ipse sibi elegit; potest illud rubro vel flavo; albo vel nigro colore imbuere, prout id esse desiderat, & prout ignem regit, & conservat, cum omnes in antimonio colores non secus ac in mercurio reperiantur, quod neminem in admirationem rapiet considerantem, quàm multa natura in sinu suo gerit abscondita, quæ nec tu, nec ego multis deinceps diebus capiemus.

Antimonium libro comparatur.

Si forte homini indocto liber objiciatur, nescit ille quid

eo

eo ſcripto ſignificetur, aut quid ſibi velit ſcriptura iſta: abſconditum enim eſt id ab oculis ejus, & hæret, ut vacca, quæ ad oblatæ novitatem januæ obſtupeſcit. At ſi quis illi indocto ſuggeſſerit explicationem libri, eumque tam rem eo contentam, quàm uſum rei docuerit, non amplius miratur ut artem, ſed jam facta eſt illi res vulgaris, cujus operationem & rationem intelligit, & utilitatem ſtudio ſuo addiſcere, capere, & comprehendere poteſt tam perfectè, ut jam eum nihil eorum lateat, quæ libro continentur, quoniam didicit & legere, & intelligere, quod in eo ſcriptum continetur. Talis liber eſt antimonium iis, qui legendi artem ignorant, ideo animo fideli omnes eos moneo, qui utilitatum ejus exoptant fieri participes, ut ad

litteras ejus animum advertant, eas cognoscere, & pronunciare addiscant, ut sic eum librum legendi artem obtineant, & eo modo, tanquam in gymnasio de classe in classem promoveantur, ubi is, qui experientiam rectè consecutus est, tanquam rector præsidebit, & judicium feret, quod in examine præmium auferet: alius enim præ alio in possessionem ejus mitti dignus est.

Sed hîc mihi in mentem venit, quod nullatenus videtur prætereundum esse; nimirum hodieque quàm plurimos reperiri, qui dicunt, & temerè vociferantur, *crucifige*, *crucifige* in omnes eos, qui venena præparant in medicamenta, quibus tot mortales, inquiunt, vel pereunt, vel si supersint, miserè animam trahunt; qualia sunt mercurius, arsenicum, anti-

timo-

timonium; isque clamor plerumque intenditur, ab iis Medicinæ, ſi Diis placet, * Doctoribus, qui ne quidem intelligunt, quid inter venenum, & me-

* Indulget nonnihil genio ſuo Baſilius, exagitando Pſeudo-medicos, quorum eâ tempeſtate tanta erat ignorantia, ut omnem ſubtiliorem medicinæ præparationem, quam ipſe, & Chymici cum eo profitebantur, contemnerent, & veluti inutilem, periculoſam, ac noxiam proſcriberent; in quos mirum non eſt paulò vehementius viciſſim inſurrexiſſe Chymicos, qui tum patrocinante ſibi ſcientiâ & conſcientiâ animoſi perrumpere conabantur agmen illud imperitorum; ſed non ſemper quæ meliora ſunt, ſunt etiam feliciora. Vincebant causâ Chymici, numero vincebantur: eâ tamen pugnabant, freti rei veritate & bonitate, conſtantiâ, ut ſe victoriam reportaturos, certo confiderent; quod & hic indicat author noſter, & Paracelſus vaticinans de venturo Artiſta Elia præſagiebat fore. Et certe mihi quantum profecerint Chymici hiſce temporibus attentius conſideranti, ſeſe aperit quaſi aurora iſtius diei, dum video tot radios venturi ſolis.

medicamentum interſit, & prorſus ignorant, quomodo venenum præparandum ſit, ut in medicamentum ſalutare tranſeat, & loco malignitatis ſuæ meliorem naturam induat. Contra hos ego primus exclamo, & proteſtor; hos inquam, qui præparationis ignari, hominibus venena porrigunt, etenim mercurius, auripigmentum, antimonium, & alia his ſimilia in ſubſtantia ſua venena ſunt, & niſi ritè præparentur, venena manent.

Venenum ritè præparatum, venenum, pellit.

Attamen poſt legitimam præparationem omnis venenoſitas infringitur, exſtinguitur, & expellitur; ita ut nihil ex iis, niſi medicamentum ſuperſit, quod omnibus venenis internis, etiam altiſſimè radicatis, reſiſtit, eaque funditus evellit: venenum enim eo modo præparatum, ut jam ipſum nocere ne-

nequeat, reſiſtit omni veneno, quod nondum præparatum invenit, idque ipſum adeo præparat & ſubigit, ut venenatam ſuam naturam juxta ſecum exuere compellat.

Hîc jam ingens inter doctos certamen excitavero; dubitabunt enim, ſcio, quid hæc mea verba ſignificent, an fieri poſſit, id quod affirmo, & ſcribo, an non: & in diverſas abibitur ſententias. Erunt, qui exiſtimabunt fieri nullâ ratione poſſe, ut iis rebus, de quibus agimus, ſua venenoſitas omnino poſſit auferri; nec miror, in ea illos manere ſententia, cum doctrina ſimilium præparationum illis prorſus ignota ſit, nec minimam cogitationem habeant, quæ ducat ad profundorum iſtorum myſteriorum ſcientiam; minor tamen eorum pars fateri mihi cogetur, fieri poſſe,

ut

ut vile quid in aliud melius transmutetur.

Vos enim, vos ipsi Doctores mei fateri debetis, propositum vobis esse id mali, unde morbus originem ducit, in meliorem statum reducere. Agitedum ergo, nonne simul concedetis malum, si quod insit iis rebus, unde medicina fiet, in melius posse converti, ut opus suum tanto melius, validius, utiliusque sine ullo insigni periculo perficiat? Sed cum paucis admodum notus adhuc sit, vel experientiâ compertus modus, quo in hisce præparationibus procedere oportet, minima eorum pars sibi constabit, & pugnabit pro sententia, quam hic affirmo, & publicè profiteor: auferentur enim plerique majore turbâ clamantium, venenum, venenum! quas voces dum audio, recordor equi-

equidem clamorum iſtorum feralium, quibus Judæi mundi Servatorem ac Redemptorem ad crucis ſupplicium depoſcebant, ingeminantes crucifige, crucifige eum, quo, ut ſummum, præſentiſſimum, perniciosiſſimum, & maledictum venenum proclamabatur, cum eſſet nobiliſſima, ſumma, glorioſiſſima ſimul, & utiliſſima animarum noſtrarum medicina, quæ nos à morte peccatorum, diabolo, inferno, & omnibus infortuniis erat liberatura. Quod licet ſuperciliosi iſti Phariſæi, & legis periti, nec volebant, nec poterant intelligere, nihilo tamen minus, & erat tum, & erit verum usque ad finem mundi, & poſt eum ad omnem æternitatem; nec diabolus, nec mors, nec ipſæ portæ inferorum, nec ulla quantumvis vel potens, vel per-

perversa creatura quicquam unquam efficere poterit, quo veritas hæc evertatur.

Ita spero, imo nullus dubito, licèt omnes omnia moliantur, clamentque simul tam vagabundi & circumforanei Medicastri, quàm in civitatibus desidentes Medici, & quotquot Medicinæ aliquam partem profitentur Magistri, quin omnium istorum imperitorum ingratiis (veros enim & semper discere paratos Medicos, hic intactos esse volo) antimonium triumphabit, & vi virtuteque suâ, post justam præparationem acquisitâ, omnes inimicos suos vincet, & conculcabit; contra verò imperiti & falsi judices, & importuni ac pertinaces antimonii condemnatores, quia veritatem non agnoscunt, unà cum superbis & sanguinariis Judæis peribunt,

bunt, & in abyssum demergentur. Quam ridiculi mihi videantur isti magnifici, sibique solis sapientes Doctores, qui Imperatores, Reges, Principes cæterosque magnates deterrent, & serio admonent, ne tales medicinas, vel extremis labiis attingant, quod sint noxiæ, venenatæ, & undequaque periculosæ, hîc non indicabo, cùm videam eos tantummodo ex opinione sua judicare, nec pensi habere observationes ullas aliarum rerum, quarum illi notitiam suâ sibi observatione non antea acquisiverint, ac proinde aliud aut aliter judicare nequeunt. His ergo ego denuntio, quod si quis sit, qui tam potens venenum assumpserit, ut inde sequutura videatur mors præsentissima (siquidem homo iste curæ meæ omnino permittatur) me illi præbiturum

rum antidotum, à me præparatum, quod continuò veneno isti resistet, idque quamprimum è corpore depellet.

Parum autem mea refert, an tu Domine Doctor, qui rem hanc neque novisti, neque unquam mentem tuam, ut nosceres, applicuisti, eam parvi facias, eamque vel ridiculam, vel omnino falsam reputes, sufficit mihi quod (Deo sit, si qua inde laus) id probare, & defendere possim; ipse enim expertus sum, ipse confeci, ipse præparavi, ipse præscripsi medicinam istam, nec deest multorum copia testium, id suo assensu & sigillo confirmantium.

Et si quando contendendum mihi foret in schola cum Doctore istiusmodi, qui medicinas ipse suas non novit præparare, sed id negotii alteri committit, certus sum mihi primùm

præ

præ illo locum aſſignandum; quid enim? ignorat ille bonus, quas medicinas ægris præſcribit; albusne ſit color earum, an ater, ruber, flavus, griſius, an cæruleus, eum omnino latet, neque magis an ſiccum ſit, an calidum, frigidum, an humidum medicamentum, quod exhibet, eſt miſero notum; hoc tantum novit, ſe id in libris inveniſſe, indeque diuturni temporis præſcriptione poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem prætendit; nullam autem ulteriorem requirit informationem.

Exclamare hîc iterum liceat, bone Deus, quid hoc eſt rei! quid hominibus his bonæ mentis eſt! quam curam gerunt ægrorum ſuorum! væ, væ illis! in die judicii invenient fructum ignorantiæ, & temeritatis ſuæ; tunc videbunt in quem

tran-

transfixerint, dum proximum neglexerunt, pecuniam aucupantur, & nihil præterea: ubi, si professio sua illis esset cordi, noctes diesque impenderent, quo doctiores in arte sua evaderent, unde ægris certior cum eorum æstimatione salus, & ipsis gloria major contingeret. Sed cùm labor eis sit gravis, rem fortunæ mandant, securi honoris, ac famæ suæ contenti, rabularum instar se garrulitate quadam defendere, nihil de conscientia, nihil de rei veritate solliciti; carbones nescio quid peregrinum, & exoticum iis videntur, ideo parcunt nummis, quos iis impenderent, tanquam si melius eos essent collocaturi. Vulcanus ille scilicet medicamentorum præparator non invenitur apud eos, furni namque eorum apud Apothecarium sunt, ad

quos

quos nunquam vel raro accedunt: chartula nimirum, cui ſolemne illud *Recipe* inſcriptum eſt, iis utramque facit paginam, quam recipiens mediaſtinus neſcio quis apothecarii famulus ex mortario ſuo omnem medicinam, omnem ægri ſanitatem magno ſtrepitu extundit.

Muta mi Deus, muta hæc tempora, & fac finem hujus arrogantis ſuperbiæ; arbores illas everte, ne in cælum uſque excreſcant, ſubverte gigantes illos, ne montes omnes accumulent, & defende eos, qui ſerio rem agentes, tibi fideliter ſerviunt, ut adverſus hosce perſecutores ſuos poſſint conſiſtere.

Ego certè omnes iisdem votis in monaſterio noſtro mecum obſtrictos ſerio admonebo, ut mecum diurnas nocturnasque

Deo adhibeant preces, ut hos inimicos veræ Medicinæ ita illuminet, ut errorem ſuum execrentur, & gloriam Dei, potentiamque creaturis inditam agnoſcant, & latentem in iis claritatem per præparationem, & anatomiam quaſi auribus percipiant ſibi loquentem, quæ aliàs externis circumdata & circumtecta impuritatibus, in profundo latitat, nec unquam in lucem progreditur. Confido autem Creatorem rerum omnium, tam earum, quæ ſub ſenſum cadunt, quàm quæ remotæ ſunt à ſenſibus, benignè preces noſtras exauditurum: quod ſi minus me, fratribusque meis ſuperſtitibus contingat, poterit tamen ubi nos fatis conceſſerimus, ſequi ea rerum hominumque converſio (Deus his votis aſpiret) ut denſum & obſcurum illud velum tollatur ab ocu-

oculis inimicorum, & ipsi per veram & infallibilem illuminationem claram assequantur visionem, ut drachmam inveniant deperditam; quod faxit gratiâ & misericordiâ suâ æternus ille rerum temporumque Moderator Deus.

Æquum autem est, ut ego, qui discursum quendam numeris suis absolutum de antimonio in lucem edere constitui, * de

* Poëtæ non raro collocant in medio poëmatis sui historiæ, aut fabulæ principium, ut sustentatione perpetuâ finem suum, qui est oblectare legentes, facilius consequantur: Chymici alium ob finem eodem utuntur medio. Cùm enim propositum sit illis ita docere lectores, ut ab iis solis intelligantur, qui ardenti scientiæ desiderio totos se studio isti devoverunt, non servant illum, qui à principio per media ad finem procedit, ordinem. Ea propter author noster jam demum agit de nomine antimonii, unde alius quilibet ordini Scholastico addictus, sumpsisset exordium: mox

de nomine ipso exordiar. Arabes, quibus jam olim metallum hoc innotuit, illud linguâ sua *asinat* vocaverunt; Chaldæi vero appellavêre *stibium*; apud Latinos hodieque in usu est nomen *antimonii*, quo illud primum indigitaverunt: at Germani nostri linguâ suâ id ei dederunt nominis, quod naturæ ejus quandam proprietatem videtur exprimere; cùm enim constare videatur materiâ quadam striatâ, atque ex eo facilè confici possit vitrum præditum variis coloribus, qui ex illo educuntur, illud *spiesglas* vocaverunt, quasi vitrum striatum dicerent. Ex qua nominis va-

Varia Antimonii nomina.

mox autem ab hoc etiam discursu abstractus, satisfacit objectioni antea factæ per interrogationem: an possit antimonio omne suum auferri venenum, quod utilibus, & plus quàm præ se ferunt, significantibus ostendit exemplis.

varietate id in primis judicio prudentiore colligendum eſt, antimonium ab Arabibus, Chaldæis, Latinis, noſtrisque Germanis cognitum, & magni æſtimatum, & virtutem utilitatemque ejus obſervatam, & in uſum reductam fuiſſe; poſtea verò, orientibus variarum opinionum hæreſibus, uſum defloruiſſe, virtutemque ac gloriam ejus obſcuratam primo, deinde prorſus extinctam concidiſſe; quæ res nulla ratione in dubium vocanda eſt; nihil enim magis proclive eſt, quàm ut veritas oppreſſione inimicorum damnum & naufragium patiatur. Quis enim neſcit malitiam diaboli, cui à Deo propter noſtra delicta, & cæcitatem ſæpè multum permittitur: ille nimirum eſt hoſtis generis humani perpetuus, qui omnes vires ſuas impendit, omnes do-
 los

los adhibet, nihilque, quod in se est, omittit, ut utilitas veræ Medicinæ ignoretur, & usus exterminetur; satis gnarus eo ipso Dei potestatem & gloriam obscurari, & illa Eucharistica hominum sacrificia impediri, quibus Deo propterea gratias agunt, quod bonitatis suæ quasi radios creaturis indiderit, unde illi salutem per naturale auxilium consequantur: verùm enim vero cum nihil ad rem faciat de nomine quæstio, hac disputatione supersedebimus: omnis enim laus antimonii in præparatione ejus consistit, quæ fit ad perficiendas virtutes ei à natura per naturæ Authorem infusas; de hac ergo mihi erit sermo, hanc pertractando, & virtutem ejus notam, & nomen meum immortale facere conabor.

Antea tamen quàm virtutem anti-

antimonii declarare aggrediar, cum ſuperius faſſus ſim, id merum eſſe venenum, ſciendum & diligenter notandum eſt, venenum poſſe venenum ad ſe trahere, utpote rem ſibi ſimilem multo citius, multoque magis, quàm rem quamlibet alterius naturæ. *Poſſe venenum veneno expelli variis experientiis probatur.*

Advertat autem lector meus, & tanquam rem notatu dignam obſervet, verum unicornu, quod nullâ fallaciâ ſophiſticatum eſt, omne venenum à ſe repellere; nec poſſe quicquam ejus aſſumere, vel ad ſe trahere, id quod hac patet experientiâ. Ponatur aranea viva in medio circuli ex unicornu confecti, hæc circulo exire, & unicornu pertranſire non poterit; fugit enim id quod veneno adverſatur. At ſi ex venenata materia circulus fuiſſet confectus, non dubitaſſet ara- *Unicornu pellit venenum.*

nea exire; ipſumque venenum ſibi ſimile pertranſire.

Et attrahit ſibi ſimile. Nota deinde hoc experimenti genus, excavetur nummus argenteus, isque aquæ imponatur, ita ut navis inſtar ſuper eam fluitet, tum particulam veri unicornu ita teneas, ut non tangat quidem, ſed quàm proximè ab eo abſit, unicornu illud ſpirituali ſuâ virtute nummum à ſe depellet, ut fugiat, non ſecus atque anas, quæ per aquam natitans, fugit, dum inſidias aucupis, glandem ſibi plumbeam intentantis, animadvertit.

Contra verò natura mirum in modum amat & ſequitur, quod ſibi eſt ſimile; ut patet hoc exemplo. Impone aquæ partem panis puri & ſynceri, in ſcutella aquâ repletâ, ita ut panis innatet aquæ, admove tum ſyncerum unicornu pani, ſic

ſic tamen, ut eum non tangat, ſi jam unicornu pedetentim moveas, ſequetur particula illa panis. Adeo ſimilia amat, adeo diſſimilia odit natura, ut hæc fugiat, illa ſequatur. Conſiderent ergo Doctores noſtri, quod venenum magneticâ quadam ratione venenum adtrahat, & ea, quæ veneni ſunt expertia, ſimili modo purâ & venenatâ qualitate carentia ſibi adſumant.

Poteſt itaque venenum duobus modis auferri: primò per contrarium, quod veneno repugnat; ut jam de unicornu eſt relatum; ſecundò per ſimile, dum venenum magneticâ quadam vi ad ſe trahit. Debet autem venenum, quod veneno ſibi ſimili medebitur, ita antea præparari, ut venenum ejus in medicamentum tranſierit, & vi ſuá attractivâ poſſit alte-

rum sibi assumere, & secum expellere.

Exemplum smegmatis. Cujus rei clarissimum datur in sapone vel smegmate exemplum. Est illud ex oleo, aliisque pinguibus ingredientibus materiis compositum, quæ lino inficiendo, quàm purgando aptiores videntur, & re verâ sunt; sed quia bullitione smegmatis inter coquendum, ope salis præcipuè, separatio quædam, & præparatio facta est, smegma redditum est aptissimum, ut ex lino, aliisque rebus omnem pinguedinem & sordes ad se trahat, & eluat: ita profectò potest venenum certo quodam modo per antecedentem præparationem accommodari, ut jam non venenum, sed medicamentum sit, venenumque aliud ad se trahat, ejiciat, & hominem pristinæ restituat puritati & sanitati.

Quandoquidem jam eò ſermo nos deduxit, ut vero Medicinæ ſtudioſo, hactenus tamen ejus ignaro, eousque naturam aperire inceperimus, ut quid in ea bonum, aut malum, quid venenum, quid innoxium ſit, cognoſcat, id quod à Doctoribus propter ſupinam eorum negligentiam nondum inventum eſt, atque ut veritas ejus demonſtretur, pariter & confirmetur, non pigebit experimentalia aliquot exempla proponere, quæ veritatem in lucem producant, & falſa aliorum dogmata refutent.

Imponatur ovum, quod hyemali frigore congelatum eſt, aquæ vehementer frigidæ, ibique linquatur juſto temporis intervallo, glacies extrinſecus ad ovi putamen adhæreſcet, frigus autem ex ovo extrahetur, illudque priſtino ſuo vi- *Frigus frigore pellitur ex ovo.*

 gori,

gori & integritati reſtituetur.

Rurſum, ſi cui membrum aliquod torpeat frigore, non ſit negligens ſui, ſed aquam nivalem frigidam circumponat, ita frigus frigus attrahit, & membrum reſtituitur.

Contra vero, ſi quis membrum habeat inflammatum, circumponat illi materiam calidam, unde inflammatio orta eſt. Exempli gratiâ ſpiritum vini, qui merus eſt ignis, vel quintam eſſentiam ſulphuris, & re ipſa comperiet, calorem à calore attrahi, magneticâ quadam ratione, eumque gaudere ſuo ſimili, & dare membro inflammato non ſolùm pœnæ calorisque levationem, ſed vires omnino priſtinas.

Sperma ranarum ſanat morſum viperæ.

Ne autem hoc propoſitum non ſit ab omni parte exemplis confirmatum, addo & illud mantiſſæ loco. Cape ſperma rana-

ranarum, quod circa menſem Martium invenitur, illudque aſſeri impoſitum exſicca ad calorem ſolis, exſiccatum contunde in pulverem, eumque inſperge vulneri à venenatis viperis aut ſerpentibus inflicto, & facta erit ejusmodi in vulnere præparatio, ut deinde aliis adhibitis medicamentis vulnus poſſit perſanari. Vel aliter, idem ſperma ranarum ſæpius linteo lineo illinatur, ac identidem exſiccetur, linteum deinde in particulas conciſum imponatur vulneri, idem præſtat, quod jam dictus pulviſculus.

Quò autem veritatis hujus fundus tibi declaretur apertius: ſume tibi bufonem venenatum ad ſolem exſiccatum, & include ollæ undique clauſæ, atque urendo in cinerem redige, deinde exemptum fricando *Tulvu bufonis venenum extrahit.*

comminue, vulneri à veneno exorto impone, venenum aliud venenum attrahet, sibique adjunget. Quamobrem quæso? hac combustione, quæ est calcinatio bufonis, vis interior fit manifesta, & efficax ad operandum, ut simile simile, & nominatim venenum venenum ad se possit attrahere. Firmiter ergo tibi persuade hanc infallibilem, immutabilemque veritatem, quam tibi jam, & aliis in exemplum proposui. Si quis autem peste correptus sit, etiam hoc diligenter observet, inveniet enim veritatem eorum, quæ jam dixi; solum astrum solis, & spiritus mercurii tempore pestis adhibita, multa conservant: spiritus enim mercurii etiam sibi similia ad se trahit, & in se habet medicamentum, & vim attractivam omnium morborum venenatorum.

Ve-

Verumtamen cùm aſtrum ſolis, ex quo tanquam ex operativo & omnia vivificante ſole cuncta in genere oriuntur univerſaliter, antecellat omnibus, ego permittam ſupra omnia operantem naturam agere in potentia auri, id eſt, in aſtro ſuo, unde & ipſum, & cuncta metalla, mineraliaque in principio primam nativitatem, & propagationem generationis acceperunt. De quo pluribus agi poterit, cùm aſtrum ſolis tibi manifeſtabo, conſcientiæque tuæ religioſiſſimè commendabo. *Aſtrum ſolis omni medicina excellit.*

Eadem etiam ratione agendum eſt cum antimonio, quod easdem cum auro corporali habet operationes, de aſtro tamen ejus jam non loquor. Scio enim me, inquit antimonium, oportere coram eo pavere, timere, & tremere, quamvis in mul-

multis Medicinæ rebus capitabilibus longè multumque illud excellam; attamen universaliter efficere nihil possum eorum, quæ astrum solis, munitum cælesti veritatis testimonio, efficere potest. Mitto astrum mercurii, quandoquidem ipsummet ego ex eodem cum illo productum sum; sed quantum ad cælestem vim penetrativam operandi, astro solis cedere debeo primum dominii locum.

Scripta mea, & libri se invicem sequuntur per experientiam, quemadmodum metallorum aliud (quantum ad virtutem) ex alio observari, & æstimari, & igne probari debet, cujus valoris sit. Ita mea hæc sive dicta, sive scripta, sive medicamenta, ad unum scopum, & finem in scholas invehi debent, ubi divitiæ

seu.

ſeu Plutus locum ſibi quaſi hæreditarium obtineret, & honorem omnem loci iſtius auferret. Quod vulcano ſoli convenit, ut jactet ſe magiſtrum in ſuo elemento ignis : quod in exemplum, & veram, manifeſtamque probationem hac ratione oſtendi poteſt. Cum chalybs duriſſimus ſilice duro ſolidoque percutitur, ignis ignem excitat commotione vehementi, & accenſione eliciente occultum ſulphur, ſive ignis occultus manifeſtatur commotione iſtâ vehementi, & per aërem accenditur, ita ut verè & efficaciter ardeat; ſal manet in cinere, & mercurius inde ſe proripit unà cùm ſulphure ardente. *

Vulcanus eſt judex omnium.

Ita

* Qui ſimpliciſſimam hanc de chalybe & ſilice legis comparationem, laxa fræna tuæ admirationi, & obſtupeſcens te ipſum inter-

Ita & hîc intellige antimonium modo quodam ſic apprehendi debere, ut mercurius à ſulphure ejus & ſale, naturali modo ſeparetur. Jam quemadmodum ignis, qui abſconditus deliteſcit in materia, niſi manifeſtus fiat, & demonſtrari poſſit, nihil utile, nihil manibus, ut ſic dicam, tangibile, nihil magnum efficere poteſt: ita medicina nihil præclari efficiet, niſi antea à craſſo ſeparata, rectificata, itáque exonerata,

terroga, poſſetne ratio aut modus inveniri, quo ex lapide hoc & ferro frigido eliceretur ſubſtantia, cujus granum unicum, quid granum? cujus pars centeſima grani poſſet rudis item materiæ ingentem maſſam exiguo tempore convertere in rerum omnium ſplendidiſſimum, pretioſiſſimum, & humano generi utiliſſimum ignem? fieri poteſt, & fit quotidie, dum fixum fit volatile, & rurſus volatile, fixum. Qui habet intellectum, intelligat; & deſinat diffidere admirabilis chymiæ viribus.

rata, clarificata, in lucem producta, & præparata ſit, ut pateat omnibus ſeparationem puri ab impuro peractam, & montanum omne ſive terreſtre ſegregatum eſſe à puro metallo, tunc meſſis optata exſpectanda eſt; ut ſic tandem cognoſcatur, nihil fieri poſſe priusquam ignis certâ ratione ad operandum apertus & ſolutus eſt.

Ut brevibus ergo multa comprehendam, dico hanc eſſe antimonii conditionem. Quidquid occultum & abſconditum eſt à notitia vulgari, id artis gaudet nomine & honore, quamdiu nempe latet; verùm ſimul atque abſconditum illud factum eſt manifeſtum, ars finem habet, & jam tranſiit in opus mechanicum; quod non ſemel in aliis libris meis indicavi.

Quemadmodum apis mel ex-

ſugit

Ex melle potest fieri corrosivum pessimum.

sugit ex floribus ea arte, quam omnipotens ei indidit, in quo vis, succus, & vis roborativa latet, ex quibus medicina omnium oculis conspicua conficitur. Jam vero ex dulci illo, suavissimique saporis melle corrosivum pessimum, atque præsens venenum præparari potest; quod fortè nemo crediderit, nisi qui experientiâ didicit; nemo certè, nisi diligentissimus observator, animadvertit. Hinc tamen mel contemnendum non est, nec dicendum id, quantum ad gratissimam suam dulcedinem, corruptelam esse medicinæ, quia corrosivum ex eo fit; sed dicendum est, id provenire ex imperitia Medici, qui non novit debita ratione præparare. Hîc jam habeoquod ad liberationem ab ultimo judicio imperitum doceam Medicum.

Mel

Mel enim præparatur ex ſuperfluitatibus brutorum animalium, unde agris, campisque pinguedo ſuppeditatur, in iis proveniunt variorum generum flores, herbæ, frutices, ex quibus apes exſugunt nobiliſſimum quintæ eſſentiæ; per hoc fit alteratio & generatio alterius in alterum, in alimentum ſcilicet alterius formæ & ſaporis, quod prioribus nulla ratione aſſimulatur, & mel dicitur. Ex eo melle paratur homini amœnus, opportunus, gratiſſimus, multasque ad res utiliſſimus cibus. Ex eodem parari poteſt venenum hominibus pecoribusque, quàm maximè noxium.

Ideo tu naturæ perſcrutator, cujuscunque tandem ætatis, ſexus, fortunæ, vel eruditionis, ſequere me, & naturam; ego te veritatem ſine ulla falſitatis

tatis mixtura, ex imo erutam rei fundo erudiam; ego te, quis rectè, quis perperam procedat, intelligere faciam; ego te bonum à malo, summum ab imo separare docebo. Potest etenim ex antimonio, si prius venenum ejus commutetur in remedium, medicina confici, quæ omnes morbos radicitus eruat, atque instar ignis penetret, præparet, & coquendo consumat.

Lapis ignis

Primum ergo præparandum est antimonium in verum lapidem, qui quinta illius est essentia, quia in operatione sua igni omnino est similis, quamprimum ad coagulationem suam redacta est, à me *lapis ignis* nominabitur: cùm autem hic lapis ignis ritè præparatus est, prout in fine hujus tractatus ulterius scribam, vis medicinalis ejus omnes noxios humores

con-

consumit, purificat sanguinem in summo gradu, & omnia præstat, quæ ab auro potabili efficiuntur.

Ideo rogo te, mi inexperte Doctor, qui præparationem meam didicisti, nec usum percepisti, ne me judices ex suspicione falsa, & imperitis tuis cogitationibus, sed ipsam rem aggrediaris, & discas quomodo præparatio antimonii instituì, quomodo ulterius cum eo procedi debeat, quomodo venenum repellatur, separetur, & in locum ejus medicina salutaris reponatur, atque exaltetur.

* Cum hæc, inquam, perfeceris, tunc demum de differentia judicare poteris, & ea intelli-

* Effervescit iterum Basilius in Pseudomedicos; sed tu perlege, post fermentationem hanc utilem dabit doctrinam, quam mox in aqua forti, & spiritu vini reperies.

telliges, quæ prius à cognitione tua tam longe ſuerant remota.

O vos miſeri & miſerandi medicaſtri, qui fuco deliniti, Traſonium neſcio quid ſpiratis, & per montes fundamento carentes inceditis, ac per nubes cogitationibus veſtris ambulatis, ignari ubi tandem ad quieſcendum pedem figetis: vos, inquam, admoneo, videte quid in extremo judicii Filio Dei reſpondebitis; quærite, & ubi quæſiveritis ad uſum convertimini, & ſic officio veſtro functi, cætera Deo permittite, qui ſucceſſum dabit, & nunquam vos auxilio ſuo deſtituet. Vos autem infames, ſtultis bacchantibus inſaniores, qui nec diſcere, nec manus carbonibus conſpurcare vultis, nolite judicare, ne judicium provocetis in vos pronuntiandum,

dum, quod ſeri nepotes libro inſcribant indelebili.

Omni Medico ante omnia curandum eſt, ne dum ultro citroque diſcurrit, ut ſanitatem deperditam reſtituat, contrariam naturæ curationem inſtituat, vel à recta intentione declinet. Cùm ſpiritus vini aquæ forti affunditur, fit vehemens ebullitio, neque duæ hæ naturæ facilè ſe invicem patiuntur; ſed qui eas per diſtillationem conjungere, & unire noverit ſecundùm uſum verum Philoſophorum, multis in rebus poteſt iis uti in bonum. Eodem modo oleum ſeu liquor tartari, & acetum ex generoſo vino confectum inter ſe comparantur: oderunt enim, & non minus, quàm ignis aquam, alter alterum fugit, quamvis ex eadem materia prodierint. Ideo Medico id in primis curan-

dum, ut ab ægro circumstanstantias omnes accuratè intelligat, intellectas consideret, ut inter curandum media illa adhibeat, quæ tollendo morbo apta sunt, ne ex medicina nocumentum proveniat. Exempli gratiâ, dum ferrum aquâ forti solvitur, si subito oleum tartari affundas, non facilè vitrum servabis integrum; contrariæ enim naturæ, non secus ac pulvis pyrius, ignem edunt, qui vitrum disrumpit. De his omnibus nihil quicquam noverunt togati nostri Doctores, ideoque ignorantiam suam solo silentio defendere possunt. Vos ergo, vos iterum alloquor, Medici titulares, qui scedulas longas receptuum conscribitis: vos Apothecarii, qui decoctionibus vestris ollas impletis, non minores iis, quibus in aulis Principum cibi ad aliquot cen-

tenos

tenos homines alendos percoquuntur; vos inquam, qui hactenus cæci fuiſtis, ſinite, ut oculis infundatur collyrium,& lumina balſamo perungantur, ut decidat ab iis pellis illa denſiſſima cæcitatis, & perſpiciatis, tanquam in ſpeculo clariſſimo, veritatem. Deus concedat vobis gratiam, ut mirabilia ejus opera cognoſcatis, & radicetur in vobis charitas proximi, ut inquiratis veram medicinam, quam Rector cælorum ſupernè manu ſua omnipotente, & ineffabili ac æterná ſuâ ſapientiâ indidit, impreſſit, & communicavit nobilibus creaturis ſuis in bonum generis humani, unde petat auxilium in ſumma neceſſitate ſua,& conſilium in morbis ſuis ad ſanitatem. Quid tu vermis terræ miſerabilis, & eſca vermium, quid reſpicis ubique

corticem, & negligis nucleum, immemor Creatoris tui, qui te formavit secundùm imaginem suam; quin gratias ei agis, quin studio diligenti opera ejus, naturam ipsam superantia, indagas? revertere, & in te ipsum convertere, ibi imaginem ingratitudinis tuæ intuere, ut pudeat te coram ipso, & hujus nominatim pudeat, quod non investigaveris ea, quæ in bonum mortalium Deus opt. max. infudit creaturis suis, ex quibus potuisses ei offerre acceptabile sacrificium laudis & gratitudinis.

Sed finem hujus sermonis faciam, ne lachrymis, quibus affatim ebullientibus ex oculis vixdum resisto, commaculem hanc ipsam scripturam meam, & dum mundi cæcitatem deploro, lituris inducam hanc lamentationem, quam volo esse no-

notam omnibus. Homo ego ſum religioſus, Ordini Sacroſancto incorporatus, in quo perſeverabo, quamdiu placuerit Deo Omnipotenti hoc miſerabile corpus ſpiritu vitali animare; ideoque non alia, neque aliter ſcribendum mihi eſt, quàm ſtatui iſti convenit. At ſi judicis ſæcularis fungerer officio, exaltarem vocem meam, & inflarem tubam clangore canoro, ſi fortè audirent ſurdaſtri illi, qui hactenus veritatem nolunt agnoſcere, ſed eam ſine cauſa, falſò, & mendaciter ex ignorantia perſequuntur, calumniantur, contemnunt, vituperant, & prorſus meditantur opprimere.

Tu autem Domine Deus, qui in altis habitas, qui diceris, & verè es Deus Sabaoth, qui reſidens in ſupremo throno majeſtatis, regis cælum & ter-

ram, quæ creasti, qui stellas conservas, & ordinas cursum firmamenti in motu suo secundùm mandatum tuum, cui obediunt elementa, coram quo tremunt creaturæ omnes, quæ in terra, quæ in cælo reperiuntur, & spiritus infernales ineffabili pavore expallescunt, despice, quæso, tandem in ludum hunc mundi ingratissimi, & doce eum internè cognoscere illa, quæ filiis hominum exterius visibiliter proposuisti, ut lauderis in throno tuo, in veritate tua cognoscaris, & in immensa tua majestate adoreris. Quantum ad me, ego homo miser, & indignus pro magnis & infinitis donis & beneficiis tam sanitatis, quàm divitiarum tibi gratias ago, & laudo majestatem tuam in sæcula. Plura ego mi Pater & Domine in hoc mundo cadu-

duco nec possum, nec valeo.

Ut igitur de antimonio scribamus, & principium sumamus à fundo, unde antimonium imperium, triumphum, & gloriam acquirit, per quem exaltatur ad perfectam operationem, ante omnia prodemus certam originem radicis ejus. Quomodo in terra gignatur, quarum stellarum dominio subjectum sit, & quænam elementa id percoxerint, quænam ad maturitatem perduxerint. Antimonium igitur non est aliud, quàm fumus, vel (ut aliter interpreter) vapor mineralis, qui à syderibus supernè factus, & postea per elementa ad formalem coagulationem & maturitatem deductus & percoctus est. Notandum autem antimonium ex eodem astro suam essentiam, virtutem, vim, operationem, qualitatem acquisivisse à principio

Origo antimonii.

Antimonium, & mercurius ex eadem origine oriuntur.

cipio ex radice & essentia eadem, unde mercurius vulgaris productus est, attamen duriore coagulatione, ita ut perductum sit ad essentiam duriorem, quæ etiamnum desideratur in mercurio vulgi vivo, seu mercurio currenti; cujus ratio est, quod plusculum substantiæ salis ex tribus principiis assumpserit; licèt enim è tribus principiis de sale habeat minimum, plus tamen assumpsit essentiæ salis, quàm mercurius vulgaris, unde illi contigit ejusmodi coagulatio: à sale enim durities in omni re, id quod vulgari mercurio abest: habet enim salis admodum parum, sed inditus ei est spiritus quidam calidior sulphuris modo spirituali, ideo semper fluit, nec potest ad coagulationem perduci, nisi accipiat appositionem aliorum spirituum metalli-

tallicorum, qui matri ſaturni maximè, & maximis pollentes viribus ſunt infuſi, ſine eo autem figi non poteſt, niſi ab eo, qui habeat lapidem Philoſophorum, per quem poteſt ſua tria principia adducere ad concordantem æqualitatem, & tum acquirit ejusmodi corpus, quod fundi, diduci, malleari, liqueſcere, & fluere poteſt, ut alia metalla; aliàs mercurius eſt fluidus, eritque fluidus, donec ei hac ratione volatilitas ſua eripiatur.

Animalia & vegetabilia omnia debiliora ſunt, quàm ut figant mercurium.

Hinc animalia omnia, & omnia vegetabilia nimis imbecilla ſunt, ut mercurium figant in malleabilem ſubſtantiam, quod tam multi nequicquam conati fuerunt, eò quòd omnia iſta naturam non habent metallicam. Mercurius autem tam intus, quàm foris, nihil niſi merus ignis eſt, ideo nullo eſt

igne combustibilis, nullus ignis illum apprehendit, ut eum de essentia sua deturbet, sed fugit subito, & resolvit se spiritualiter in oleum incombustibile; vel post fixationem suam ita manet invariabilis, ut nulli homini suppetant vires, quibus illum iterum conturbet. Atque hactenus quidquid ex auro fieri potest, id etiam ex eo per artem confici potest, cùm post coagulationem suam auro omnino sit similis, quia cum auro ex eadem radice, ex eadem stirpe, & ex uno eodemque productus est. At cùm propositum mihi jam non sit de mercurio fusius disputare, sed tantum simpliciter, attamen veraciter, ex veris principiis & certitudine ipsum fundamentum antimonii describere, missum faciam mercurium, & ulteriorem de antimonio adferam

Mercurii & auri eadem radix.

ram declarationem : quicquid tamen de * mercurio per ſimilitudinem ad introductionem, & ulteriorem conſiderationem intelligendum propoſui, non fruſtra, vel de nihilo factum eſt; ſed ut principium antimonii clarius intelligatur, quod, ut antea oſtendi, unà cum ipſo quaſi mercurialiter originem ſuam accepit.

Obſerva ergo diligentiſſimè, ſæpè recogita, intellige, & intimis tuis cogitationibus infige, quod omnia tam mineralia, quàm metalla ſimul eodem tempore, & eodem modo, ex una eademque re principali nata *Omnia metalla & mineralia ex eadem radice.*

* Quod ita miſere torquet omnes hujus artis ſtudioſos: quid ſit ille *mercurius noſter*; quid materia lapidis, quæ ubique & omnibus in rebus reperitur, breviter & clarè hîc manifeſtatur. Ideo non fruſtra ſibi tuam conciliat attentionem orator Baſilius. Lux omnis, quæ à me huic adderetur claritati, tenebræ forent, ideo, ut ipſe monet, attende.

nata ſint, & progenita: atqui res iſta non eſt aliud, quàm merus vapor, qui ex elementari terra per aſtra ſuperiora, tanquam per ſyderalem diſtillationem macrocoſmi extrahitur, quæ ſyderalis calida infuſio ſupernè in inferiora aëreoſulphurea proprietate ita operatur, & agit, ut eis vis quædam & virtus ſpiritualiter & inviſibiliter implantetur, qui fumus ſe poſtea in terra in aquam quandam reſolvit, ex qua aqua minerali omnia deinde metalla generantur, & maturantur ad ſuam perfectionem, provenitque hoc vel illud metallum, vel ſaltem minerale, prout unum ex tribus principiis prædominium acquirit, utque habent multum, vel parum mercurii, ſulphuris, & ſalis, vel inæqualem mixturam ponderis eorundem, unde me-

metalla quædam fixa, quædam non fixa, id eſt, quædam conſtantia & ſtabilia, quædam volatilia & facilè mutabilia repeℓriuntur, ut videre eſt in auro, argento, ære, ferro, ſtanno, & plumbo.

Præter metalla jam dicta, etiam generantur alia mineralia ex tribus principiis, ſecundùm communicationem, & participationem inæqualis ponderis eorundem. Ut ſunt vitriolum, antimonium & aliæ plures marchaſitæ, vel aliud electrum, & alia mineralia, quæ macrologiæ fugiendæ causâ, non recenſebimus.

Jam aurum in aſtro & principio ſuo imbutum fuit multò perfectiore ſulphure, & multò perfectiore mercurio, quàm cætera metalla & mineralia; ideoque vis ejus operativa multò potentior, multoque ef-

In astro solis omnium mineralium vires insunt.

ficacior est, quàm astra aliorum metallorum: imo, quæ in omnibus dispersa sunt, in solo astro solis omnia, multoque plura inveniuntur.

Id volo, cùm in maturatione sua per ignem ulterius producitur, plus illud unum perfectionis continere, quàm omnia metalla & mineralia simul. Unum solum est minerale, de quo jam sæpius mentionem feci, in quo sulphur solis æquè forte & potens, imo potentius reperitur, & fortius, quàm in ipso auro: quemadmodum etiam duo genera metallorum inveniuntur, in quibus hoc prædominium vehementer triumphat, de quibus jam scribendi nec facultas suppetit, nec voluntas: sed intra eos, quos ipse mihi circumdedi terminos agendi de essentia antimonii, me contineo, de

de qua jam dicere inſtituo.

Antimonium ergo eſt minerale factum ex vapore terræ in aquam commutato, quę ſpiritualis ſyderea commutatio eſt verum aſtrum antimonii, quæ aqua per ſydera ex terra elementari, deinde per elementum ignis, qui in aëre reſidet extractum eſt, & per coagulationem formaliter in eſſentiam tactilem commutatum, in qua eſſentia tactili (unde nempe antimonium formaliter factum eſt) invenitur plurimum ſulphuris prædominantis, poſt hoc mercurius cenſetur, ſalis autem ex tribus eſt minimum; tantum tamen ſalis aſſumpſit, ut duram ſuam & immalleabilem formam inde conſecutum ſit. *Antimonii definitio.* *Aſtrum antimonii.*

Sicca & calida, vel potius ardens eſt præcipua ejus qualitas, de frigore & humiditate eſt in eo minimum, uti & in mer- *Qualitates antimonii.*

mercurio vulgari; quin etiam in auro corporali plus caloris, quàm frigoris ineſt.

Atque hæc ſufficiunt dicta de materia & tribus principiis fundamentalibus antimonii, quomodo per Archæum in elemento terræ perfectum ſit: verumtamen Philochymici non multum ſua referre putant hanc à me allatam rationem Philoſophicam, nec eos ſollicitos habet in quo centro aſtrum antimonii quieſcat, vel ex qua radice fluat; ſed magis optant diſcere utilitatem ejus & uſum; quâ ratione ſcilicet præparetur, & in ſtatum ſuum redigatur, ut poſſint virtutem, vimque unà cum operatione ejus cognoſcere, de quibus tam multa & ſcripta ſunt olim, & etiamnum hodie dicuntur, & decantantur ab omnibus omnium ſtatuum & conditio-

num

num hominibus : docti enim juxta & indocti exſpectant ſatisfieri huic deſiderio ſuo ardenti & inſatiabili, ideo nec ego volo lectorem multis discurſuum ambagibus circumducere, aut faſtidiosâ dilatione detinere; ſed ſimpliciter erudire omne, quod ego ſtudio & diligentiâ, quam ſæpè antimonio impendi, de eſſentia ejus perſcrutari potui; nec enim quisquam propter vitæ hujus brevitatem, omnia ejus arcana ſcire, aut inveſtigare poteſt. Nam in præparatione antimonii perpetuò miraculum aliud ex alio ſequitur; alius gradus gradum priorem excipit; alius color colori ſuccedit, & vis, virtus, operatio ſemper major alia poſt aliam ſe manifeſtat.

Antimonium non præparatum præſens venenum eſt.

Atque ut hinc exordiar, antimonium merum venenum eſt, nec de genere minorum veneno-

norum, ſed quo homines & beſtias poſſis perimere, adeo pervaſit vis nocendi totam mineralis hujus ſubſtantiam; hinc oritur communis illa omnium vociferatio; plebs enim, imperiti Doctores, & omnes ii, quibus fundus veræ Medicinæ incognitus eſt, pariter uno ore proclamant venenum, venenum! venenum, inquiunt, (ut & ipſe ſupra faſſus ſum) latet in antimonio: ideo neminĩ ſuademus, ut eo utatur; parit enim ſanitatis vitæque periculum: ideo Doctores, qui in aulis verſantur admonent Monarchas, & Principes, aliosque Magnates, ne utantur antimonio. Alii de ſchola elatâ voce monent, cavete vobis, ne quid cum antimonio habeatis in medicina commercii; merum enim venenum eſt: hos ſequuntur minorum oppidorum incolæ. Atque
hic

hic pervagatus clamor ita movit plerosque mortalium, ut usque ad hæc mea tempora antimonium male audiat, nec ullus medicinæ ejus confidat, quæ tam varia, tamque inexplicabilis in eo reperitur. Verè enim, & ſanctè affirmo, quàm verè Deus eſt creator omnium rerum viſibilium, quæ vel cælo vel terra continentur, omniumque creaturarum, quæ vel ad cognitionem noſtram venerunt, vel adhuc venturæ ſunt; quod nulla medicina major ſub cælo, & ſolis radiis unquam experientiâ duce monſtrabitur, in qua tantum columen ſanitatis, tam verè, tam affluenter reperietur, quantum in antimonio ineſſe certis & irrefragabilibus experimentis declarabitur.

Antimonium præparatum ſumma eſt medicina.

Audi fili orationem meam, & tu lector attende ad ſcripta mea,

mea, & vos mundi sapientes observate diligenter meam in experientia fundatam annuntiationem de antimonio: theoria enim mea ex natura oritur, & practica sequitur ex certa experentia, quæ multifariam utilitatem ostendit suam, & non sine incredibili admiratione omnium eam infinitis modis prodit. At in principio assentior tibi, & fateor, ut antea in scriptis meis fassus sum, antimonium merum esse venenum, & ante præparationem nihil in se, aut apud se habere, quàm venenum, idque verum esse affirmo. Sed tu quicunque tandem es Doctoris, Magistri, Baccalaurei gradu insignite, vel non insignite, seu arte imbute, seu alio quodam privilegio promote, tu, inquam, qui tam inconsideratè sine veritate, & tam arroganter vocife-

ciferaris, & mihi oggannis, auſculta pauliſper, & argumentationis tuæ neutiquam immemor, audi, quid ego in præſentiarum tibi dicam.

Antimonium non reiiciendum, quia venenum eſt.

Antimonium venenum, ergo unuſquiſque caveat ſibi, ne eo utatur. Non, non ſequitur domine Doctor, Baccalauree, Magiſter non, inquam, ſequitur domine Doctor, quamvis rubro ſuperbias pileo. Theriaca fit ex periculoſiſſimo veneno viperæ, quæ θηρίον dicitur, unde & nomen accepit: ne ergo quisquam mortalium eâ utatur, eſt enim in illa venenum. Ecquid tibi hæc placet conſequentia? ecquid arridet hæc mea doctrina? audiſis, poſt præparationem nulla in antimonio reperitur venenoſitas, nam arte ſpagyricâ antimonium de veneno in medicinam convertatur oportet, prorſus ut

ut de veneno viperæ dictum est, quod in theriacam convertitur, absque præparatione autem nihil commodi ex eo, nihil auxilii in medicina consequeris, sed plurimum dispendii & detrimenti.

Vulcanus omnium arcanorum magister est.

Quicunque jam antimonii discipulus fieri desiderat, ille post orationem, & ardentem Dei invocationem ad scholam vulcani se conferat, hic enim omnium arcanorum magister & revelator est: hic præceptor à sapientibus mundi contemnitur, pro nihilo putatur, & irridetur, quia propter negligentiam, & malignitatem suam nihil quicquam ab eo didicerunt, & omnis revelatio propter socordiam eorum impeditur, nulla utique medicina, absque vulcano unquam præparatur, dicant & occlament insensati illi, & insani quicquid libuerit.

Jam

Jam ad processus, & præparationem antimonii perveniam, posthac enim clamores istos hominum arrogantium, sibique plaudentium sus deque habebo : faciant illi, & in lucem producant quidquam, quod antimonium antecedat: præsertim cùm ex antimonio fieri possint medicinæ æquales iis, quæ auro & mercurio vulgari insunt (astrum solis excipio) ex hoc enim aurum potabile adversus lepram, ex hoc spiritus mercurii, summum illud remedium adversus morbum Gallicum, ex hoc infinita alia præparari possunt. Licèt contemptores illi hoc minus capiant & penetrent, quid mirum ? non didicerunt enim; nemo autem de re, quam non didicit, sanum potest ferre judicium. Exemplo sit illis animal iis in stupiditate non absimile

mile asinus, quem agaso docere non potest, quomodo fistulam suam accommodabit, ut eâ commodos ad harmoniam edat sonos: non didicit enim. Ita rectum judicium ferri nequit cum solido fundamento ab eo homine, qui antea studia sua eò non contulit, ut ex scriptis, quid ea in re æquum sit, quid iniquum possit pervidere. Eodem modo in hac facultate quid cuique Doctorum attribuendum sit, antea & scriptis, & ipsa aggressione operis addiscere oportet.

Quid sit venenum, & unde originem ducat.

Antequam tamen ad processus transeo, interpellabit me forte quis, & petet, quibus modis tam mineralia, quàm res aliæ venenositatem accipiant? quid sit venenum? unde venenositas cujusque rei originem ducat? quomodo ea auferri, & tandem quomodo mi-

minerale. ejusmodi ad ſanitatem poſt evacuationem veneni absque periculo ſecurè uſurpari poſſit? hiſce quæſtionibus ego breviter & clarè reſponſum volo. Veneni infuſionem ſub duplicem cadere conſiderationem, naturalem, & ſuper naturalem.

Prima ratio cur Deus ſummus aſtrorum Dominus, & cæli terræque Conditor propoſuit nobis apertum venenum, præcipuè in mineralibus, eſt ut hac ordinatione ſuâ oſtenderet nobis mirabilia & potentia opera ſua ad diſtinctionem boni & mali, ut nobis præſcripſit in lege notitiam ejus, quod homini agendum incumbat, videlicet arripere bonum, & fugere malum.

Ita etiam arbor vitæ in Paradiſo proponebatur; rectus ejus uſus cedebat in bonum;

at verò abusus lapsum attulit in malum, eo enim infringebatur Dei præceptum, unde pernicies, & omne malum. Atque hæc est ratio prima.

Altera est ut per hoc capiamus, & intelligamus distinctionem inter malum & bonum, & discamus tandem malitiam exterminare, & bonitatem in locum ejus reponere: Deus enim non vult hominem exitio suo immergi & perire, sed ut à malo decedat, & transeat ad emendationem, quà exitium ab animo ejus propulsetur. Ita nobis creaturis suis mirabili convenientiâ proposuit bonum & malum, quod cùm in præcepto verbi, tum in opere creaturæ invenitur, ut eligamus, quod utile & bonum est sanitati, & vitemus, quod malum & perniciosum est.

Venenum præterea conficitur

tur per ſtellas, dum contrariæ oppoſitiones & conjunctiones earum contingunt, quibus elementa inficiuntur, ut cauſa exiſtant in hoc mnndo inferiore peſtis, & aliorum morborum venenatorum, quod & de Cometis intelligitur.

Quartò venenum fit ex rebus inter ſe pugnantibus, veluti cùm aliquis in ſe accendit venenum ad mortem per iram, mœſtitiam; etiam ſi quis æſtuans calore inſolito bibat. Quintò etiam ad venena referri poſſent arma, quibus quis occiditur, tum abuſus armorum venenum eſt illi; ſed dum quis armis utitur ad juſtam & inculpatam tutelam corporis ſui, ad quam inventa ſunt, tum Medicinæ quoddam genus haberi poſſent.

Cauſa veneni denique demonſtrari poteſt ex natura,

eo modo : quidquid naturæ repugnat venenum est ; ideo , quia repugnat. Uti cùm quis eo cibo vescitur , quem stomachus ejus ferre non potest, tum cibus iste ei venenum est ; naturæ enim repugnat : contra vero, si quis sit, cui hic cibus amicus est , ei ille ipse medicina est.

Venenositas omnis ex non percocto mercurio.

Sed præcipuè venenum ad corpora attrahitur in terra, dum essentia quædam mercurialis (jam mihi de veneno mineralium sermo est) quæ adhuc in immatura , cruda , & nondum percocta forma est , quæ naturæ repugnat , & difficulter digeritur , quia talis essentia mercurialis nondum perfecta & percocta est ad maturitatem , ideo pervadit ea totum corpus , ut crudum , immaturum , indigestibile minerale. Quemadmodum si frumentum cru-

crudum ab hominibus manducaretur, ſtomacho difficile eſſet illud ita digerere, ut non ſequeretur inſignis corporis debilitas; imbecillior enim eſt calor naturalis, quàm ut illud ad debitam concoctionem & perfectionem perducat. Frumentum quod ab igne majoris mundi maturitatem accepit, deinde â minore igne percoqui debet, ut à microcosmo digeri poſſit. Eadem ratione, ut antea de carnis ad maturitatem percoctione dictum eſt. Idem hîc intelligendum, cùm antimonium adhuc crudum ſit, nec in terra ad fixitatem percoctum, ſtomachus hominis (ut ita per ſimilitudinem loquar) debilior eſt, quàm ut illud ferat, & apud ſe retineat, ſicut certâ experientiâ demonſtratur, quod omnia cathartica, ſive mineralia, ſive animalia, ſive

In quo conſiſtat venenoſitas antimonii.

vegetabilia ſint, adhuc venenata ſunt, propterea quòd mercurialis quædam volatilis materia adhuc in illis dominatur; qui ſpiritus volatilis cauſa eſt, cur alia, quæ in homine ſunt, expellantur: non quod per hoc medium apprehendatur ipſa radix morborum, id quod per fixitatem cujusque rei efficitur. Omnis enim medicina ad fixitatem perducta inveſtigat morbos fixos, & eos radicitus evellit, quod non fixa purgantia efficere non poſſunt, ſed tantum quaſi ſpolium quoddam de morbis reportant, vel potius comparandæ ſunt aquæ, vi quadam actæ per plateam, quæ ceterùm terram ipſam non pervadit. Quæ fixa ſunt reddita, non per inferiora purgando, quod non fixis venenatis familiare eſt, ac proinde morbi, ut ſic loquar, nucleum

Medicinæ fixæ radicem morborum aggrediuntur.

deum vel centrum non tangunt, ſed ſudorem expellendo, aliisque modis ipſam radicem intimam morbi aggrediuntur, non contenta ſuperficiali quadam ſordium expulſione: ideo omnes & ſingulos admonemus ſæpius, antimonio omnem prorſus venenoſam impuritatem eximendam, antequam vel dici vel eſſe poſſit talis medicina, quam non ſit religio adhibere. Ideoque bonum à malo, fixum à non fixo, medicina à veneno diligenter ſeparentur, ſiquidem ex uſu antimonii, verum honorem, veramque utilitatem ſperemus: atqui ſolus id ignis poteſt efficere. vulcanus enim horum omnium ſolus & unicus magiſter eſt. Quicquid vulcanus in majore orbe non perfecit, & crudum reliquit, id in mundo minore per alium quendam vulcanum emendan-

dum eſt, immatura maturando, cruda calore percoquendo; & purum ab impuro ſeparando. Quod fieri poſſe jam extra admirationem eſt omnium, quotidiana enim experientia id docet, & ſpontè apparet in corporali aſpectu colorum, qui ex igne prodeunt. Per ſeparationem enim & ignem, quæ fixationem perficiunt, venenoſitas adimitur, & mutatio mali in bonum loco ejus reponitur, uti jam antea diximus. Ignis itaque eſt ſeparator venenoſitatis à medicina, & boni à malo, id quod Medicorum nemo mihi verè & fundamentaliter fateri & demonſtrare vel audet vel poteſt, niſi qui mecum fraternam cum vulcano initam amicitiam potu ſolemni confirmaverit, & igneum amoreque plenum balneum celebraverit, quo ſponſa ab omni in-

inquinamento perpurgata, cum ſponſo ſuo legitimè in lecto connubiali poſſit cubare.

Quid in antimonio inveniatur.

Vah mundani acumen ingenii eorum, qui hæc ſcripta mea nec intelligitis, nec ad intelligendum operam navatis! ſi noviſſetis, quid fixum, quid non fixum appelletur, & quid ſignificet ſeparare purum ab impuro, profectò multas res oblivioni traderetis, & omiſſis aliis inſanis operibus, me ſolum ſequeremini: in me enim (ipſum antimonium te alloquor) invenis mercurium, ſulphur, & ſalem, quibus nihil ad ſanitatem hominum eſt conducibilius. Mercurius eſt in regulo, ſulphur in colore rubro, & ſal in derelicta terra nigra. Qui hæc ſeparare poteſt, & iterum unire debito modo ſecundùm artem, ita ut fixatio ſine veneno dominetur, ei cum ho-

nore & veritate gaudere licet, se lapidem, qui ignis dicitur, assecutum, qui ex antimonio confici potest ad sanitatem mortalium, & ad sustentationem temporalem cum utilitate particulariter.

In antimonio enim reperies omnes colores, nigrum, album, rubrum, viridem, cæruleum, griseum, flavum, & alios, quàm credi potest plures mixtos colores, qui singuli singulatim separandi, singulatim cognoscendi, & singulatim ad usum sunt revocandi, quisque in eo statu, ad quem ordinatio est facta, & quemadmodum ordinatio talis est instituenda.

Ideo jam distinctè declarabo, quomodo medicina præparanda, venenositas depellenda, fixatio suscipienda, & vera separatio, quâ malum retundatur, & deprimatur, ac bonum trium-

triumphet, in opus ſit revocanda.

Advertat interim artis amator, virtutem antimonii non tantum, ut cetera metalla ſingula cum ſingulis lapidibus pretioſis comparari poſſe, ſed ipſum ſolum omnium lapidum virtutes univerſaliter continere, quod colores ejus, quos per regimen ignis ex ſe effert, & oculis exhibet, ſatis demonſtrant: pellucidum ejus rubrum aſſignatur carbunculo, pyropo, & corallo; album adamanti & cryſtallo; cæruleum ſapphyro; viride ſmaragdo; flavum hiacyntho; nigrum granato, qui lapis occultè nigredinem quandam in ſe habet abſconditam. Quantum autem ad metalla, nigrum ſaturno, rubrum ferro, flavum auro, viride cupro, cæruleum argento, album mercurio, mixtum ex variis

Antimonium continet virtutes omnium lapidum pretioſorum.

Omnium item metallorum.

variis coloribus jovi attribuitur. Quemadmodum autem omnes colores omnium metallorum, & lapidum pretiosorum in antimonio clarè reperiuntur; ita omnes etiam vires virtutesque medicinæ in eo non minus, quàm colores ostenduntur, sed omnes istos colores ex eo educere, non est unius hominis; vita enim angustioribus circumscribitur terminis, quàm ut unus labore suo perdiscat, quicquid natura in sinu suo abditum gerit, & absconditum. Fit enim unâ aliquâ ratione, ut per præparationem educatur ex antimonio acidus humor per distillationes instar aceti veri & synceri. Aliâ viâ color ruber pellucidus paratur, dulcis & sapidus instar mellis despumati, vel sacchari. Aliàs amaritudo prodit instar absynthii. Aliàs acrimonia quædam

Omnis generis medicinæ fiunt ex antimonio.

dam quaſi oleum quoddam ſalſum : ita ſemper natura alia aliam ſequitur. Jam ſurſum pellitur ad montes olympicos per ſublimationem inſtar aquilæ volantis rubrum, flavum, album. Jam per deſcenſum deorſum pulſus, diverſos edit colores, & præparationes; uti & per reverberationem ex eo fit metallum ſimile plumbo vulgari. Item vitrum transparens, rubrum, flavum, album, nigrum, atque aliis imbutum coloribus : quibus tamen omnibus uti in medicina conſultum non eſt, niſi antea ſint alio examine probata. Etiam reſolvitur in rara & mira olea, quæ varia ſunt, & multiplicia, quorum quædam cum additione perficiuntur, quædam per ſe ſine mixtione aliarum rerum, alia item intrinſecus aſſumuntur, alia tantum extrinſecus vul-

garibus ulceribus & vulneribus imponuntur. Extractiones jam tot ſuppeditat, totque coloribus variegatas, ut fatigare poſſit Apollinem Delphicum, ſiquidem omnes mutationes naturæ ejus, quæ per ignis januam referantur, nobis oraculis ſuis velit pandere.

Fit ex eo mercurius vivus, fit ſulphur, quod ardet inſtar ſulphuris vulgaris, adeo ut pulvis pyrius ex eo poſſit præparari, fit ſal verus & naturalis, fiunt alia ex eo multa.

Aggrediamur ergo & loquamur de præparationibus ejus, ut ſunt eſſentia ejus, magiſterium, arcanum, elixir, & tinctura particularis, in quam tum demum omni diligentiâ & ſtudio intendes, quando tibi lapidem, qui *ignis* dicitur, & præparationem ejus ſcriptis de-

declarabo, unà cum variis secretis & arcanis, quæ mundo vix,aut ne vix quidem ſunt cognita, quibusque parum attenditur, poſtquam Ægyptii,Arabes,& Chaldæi,qui artes haſce profitebantur,obiere; quorum tamen ad verum veræ medicinæ fontem indagandum, cæteraque ejus opera perficienda, uſus eſt plurimus.

Adverte nunc ergo diligenter & profundâ meditatione recogita, omnes præparationes aliam poſt aliam ſequi, prout eas tibi revelabo; nulla enim, quæ utilitatem ſuam non habeat, adducetur, ſed unaquæque, prout in ſtatu ſuo ordinatur. Fixa enim medicina antimonii expellit fixas, & irradicatas ægritudines; non fixum autem,ut crudum,& non præparatum antimonium aperit, & purgat tantum ventri-

culum, & fundum morbi non attingit.

Jam igitur aggredior præparationem omnium, quæ ad antimonium pertinent, omnes claves præparationis ejus proferam, quæ nunc ex igne, tanquam novâ nativitate in lucem prodeunt, & revelantur, in ea vocatione ad quam à Deo creatore suo ordinatæ sunt. Hæc reseratio & præparatio mineralis antimonii multis variisque modis & viis perficitur; ordinatione & regimine ignis pariter & multijugâ cheiragogiâ, unde operatio medicinæ, virtus, vis, & color fluit & emanat.

Cùm ergo antimonium aspectui offerat colorem crudum, nigrum, cui album inspersum sit, primum agam de prima ejus perturbatione, quæ in calcinatione, ac incineratione con-

consistit, fitque hoc modo.

Sume antimonium Hungaricum optimum, aut aliud quod nancisci possis, tere in pulverem, si fieri possit, impalpabilem; hunc pulverem molliter, & tenuiter dispersum extende in scutella figularia rotunda, vel quadrata, quam ambiat margo ad duorum circiter digitorum latitudinem elevatus, hanc scutellam impone furno calcinatorio, subde in principio ignem moderatum ex carbonibus; ubi videris fumum subeuntem ex antimonio, move id spathâ ferreâ; nunquam cessando, quamdiu ullum ex se fumum emittit, dumque inter calcinandum antimonium eò perductum est, ut in globos seu glebas conformetur, ab igne amovebis; ubi refrixerit rursum in pulverem subtilem tere, & rursum igni impositum move, & calcina, ut antea factum est, donec nihil amplius fumi Calcinatio antimonii.

ascen-

ascendat, eaque actio toties repetenda, & tamdiu continuanda est, donec antimonium igni impositum nullum amplius edat fumum, non coaguletur in glebas, & colore referat albos & puros cineres: tunc calcinatio antimonii ritè peracta est.

Vitrificatio antimonii. *Impone hoc antimonium ita calcinatum crucibulo, quali utuntur aurifabri ad aurum argentumve liquefaciendum, idque vel follibus exagita, vel igni impositum ipsum furno ventoso vehementi impone, eique talem ignem subministra, ut antimonium fluat clarum & purum instar aquæ. Ut jam certò & infallibiliter probes, an vitrum antimonii satis sit coctum, & perspicuum suum colorem acquisiverit, intinge ferrum frigidum oblongum in crucibulum, adhærebit vitrum ferro, decute id malleo, explora ad lucem diei, si sit mundum, clarum, & transparens,*

rens , bene habet , & acquisivit debitam suam maturitatem. Sciat enim lector meus, in arte adhuc tyro & rudis (non enim hæc scribo in arte versatis , qui sæpius vires ignis experti sunt, sed * candidatis , tyronibus , & ar-

* Rectè Basilius se tyronibus hujus artis scribere dicit , quia rem à vitro antimonii , id est ab ipsis chymiæ exorditur rudimentis , idque tam operosè conficere docet , ut nemo, quantumcunque novitius , hîc possit hallucinari : experientur tamen non rarò etiam veterani, quàm sæpe iis hærebit aqua in praxi , illis ego hosce conscripsi commentarios. Placeat sibi quisque in scriptis suis, per me licet : ego certè me aliquid attulisse puto, quod sera posteritas mihi semper referet acceptum. Cùm enim Basilium , aliosque artis artium Magistros , per aliquot annos & legerim diligentissimè , & secutus sim operando , quàm potui strictissimè, tot tamen errores meos,quorum vel ipsa me horrore perfundit recordatio , tantâ lui pecuniâ , tanto coactus sum emendare labore, ut me omnium eorum misereat, qui viam hanc ingressuri sunt, impulsi syncero proxi-

proximos juvandi desiderio; nam eos, qui nihil, quàm divitias prætendunt, & artem tam nobilem faciunt avaritiæ, vitiorum omnium sordidissimo, mancipium, nihil moror, subeant illi quod merentur supplicium. At vos, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan, *quærite primum regnum Dei*, quod charitate proximi, vel constituitur, vel propagatur, *& cetera*, quæ alii tam impiè quærunt, sponte, quæ Dei benignitas est, *adjicientur vobis*. Nullum adhortor diligentius, ut hos commentarios legat, unumquemque enim satis res adhortabitur sua, quando videbit me sæpe verbo uno & animadversione simplicissimâ eum liberare tot sumptibus, quos toties in experiundo irrito successu fecit. Ego hìc candidè tibi profiteor, lector studiose, si tam syncerè mihi encheireses, quas hic aperio, indicatæ fuissent, me parciturum fuisse ingenti pecuniâ: contigit enim sæpius, ut aliquot errores, dum processus aliquos pervicaciter prosequerer irrito conatu, luerem aliquot florenorum millibus. Raro tamen operationes, quas Author noster omnium, quod sciam, syncerissimè, & apertissimè tradidit, repetam ab ovo, nec Chymiæ tradam tyrocinium, quod alii jam authores tyronibus notissimi præstiterunt: sed eos, qui jam dudum solverunt è carceribus, & metam oculis, metam animo & flagran-

& artis Spagyricæ ſtudioſis, diſcipulis; vulgare enim & tritum eſt plurimis ex antimonio vitrum conficere) ſciat inquam omne vitrum ſive ex metallis, ſive ex mineralibus, ſive alia quacunque materia fiat, percoquendum eſſe ad debitam maturitatem, ut habeat clarum, pellucidumque ſplendorem, & aptum ſit ulteriori ad medicinam præparationi: quam tralucentem & puram maturitatem ſolus vulcanus efficit in ſecreta & abdita natura: hoc itaque unusquisque ſciat, animadvertat, & retineat.

Quando jam, quo diximus modo, antimonium in crucibulo

grantiſſimo deſiderio deſignant, monendo juvabo, ne vel ſanguis in via lubricus, vel proſtratus jam Entellus eos impediat, ne propoſitum auferant bravium; quod eſt divitiæ & ſanitas.

Purum vitrum antimonii absque additione. lo in vitrum abiit, *sume pelvim vel scutellam ex cupro confectam, quæ sit & lata, & plana, calefac illam ad ignem, aliàs dissiliret materia, & infunde antimonium, quàm potes, tenuissimum, habebis purum, flavum, & pellucidum vitrum antimonii.* Atque hæc optima est via præparandi vitrum antimonii per se, sine additione, estque hoc vitrum virtute & vi præditum præ omnibus ceteris optimâ, ut post præparationem suam ulterius operetur, & hoc vitrum appellatur à me *vitrum* * *antimonii*

* Hæc est via jam trita passim conficiendi vitrum antimonii, quod utile est in multis operationibus: sed illud ita passim propinare ægrotis, periculosæ plenum est opus aleæ. Succedit illud quidem sæpè feliciter, sed non est tanti ista fortuita quorundam sanitas, ut propterea vel unius hominis vita exponenda sit periculo. Vidi enim cùm æger tantum sesqui-unciam sumpsisset infusionis eum post ingen-

ingentes vomitus, & ſupercatharticas evacuationes ſubitò efflare animam; atque hinc illę lachrymæ, hinc clamores iſti contra Chymicos inſurgunt, tanquam ſi arti imputanda eſſet aliquorum Pſeudochymicorum impia temeritas, quorum nihil refert, quot funeribus impleant domos, modò unus alterve ſanatus eorum ebuccinet famam, & illi audiant magni Doctores, emungantque ruſticis pecuniam. Ratio hujus periculi eſt, quòd omnis ›› vis emetica antimonii in ſale ejus fixo con- ›› tineatur, in quo ſale ſimul omnis ejus vene- ›› noſitas ſtabulatur, quam naturæ debiles evincere nequeunt, atque hinc non tantum à vi ſalutifera ejus boni accipiunt, quantum à veneno nocumenti: ſed res iſta ſanos homines deterrere non debet ab uſu antimonii, cùm videant illud etiam tum, cùm venenum admixtum, ſæpe tam ſalutares producere effectus: potius ergo ita ratiocinandum eſt, ſi vis illa ſalutifera à noxia facultate liberaretur, quid non boni efficeret, quos morbos non ſanaret? Ecce ergo tibi vitrum antimonii, quo & utor ſæpe, & à quolibet in uſum revocari poteſt, ſine ullo feralis cataſtrophes periculo.

Sume vitrum antimonii purum, ut hîc Baſilius docet confectum: funde illud in crucibulo, ut liquidò fluat ad tertiæ partis conſumptionem. Tere hoc in pulverem impalpabilem: affunde

nii purum : cùm & alia per additionem boracis, aliarumque rerum præparentur hoc modo.

Vitrum antimonii cum additione. *Recipe antimonii crudi unam, boracis Venetæ partes duas, tere hæc*

funde ei spiritum vini optimè rectificatum, qui tribus digitis pulveri superstet, claude firmiter, & tribus mensibus circuletur, extrahe spiritum vini per distillationem, vel si tinctus sit rubedine (quod semper erit, si recte in operatione tua processeris) eum tantummodo decanta, & sepone, est enim præstans medicina. Corpus iterum impone crucibulo, permitte, ut fluat, & funde in quaslibet formas, potest enim, quascunque vis, assumere, etiam facierum, quæ annulis imponantur, & manu gestentur. Usus autem hic est.

Impone duabus vini unciis frigidis per noctem ejusmodi vitrum, & mane bibat æger vinum istud, optimos percipies successus; blandè enim purgat, & si natura inclinet, ut supernè educatur materia peccans, molliter ei obsequitur, & molles ciet vomitus. Hoc tantum nota, dosin præscriptam minuendam esse pro viribus, ætate, & constitutione ægrotantis. Atque hoc primum, lector, tibi à me oblatum sepone cimelion, pluraque exspecta, si gratus & attentus perlegas cetera.

hæc simul, impone crucibulo, & fac per folles, vel furnum reverberatorium hæc inter se fundantur, & perfectè misceantur, postea effunde in pelvim, vel scutellam cupream calefactam, quàm potes tenuissimè, ut antea dictum in præparatione superiore, & invenies pulchrum, & instar * pyropi pellucidum antimonium, si modo debita inter operandum illud encheresi tractaveris. Hæc autem rubedo per spiritum † vini, ex hoc rubro

* Cautio, cui successum hîc adscribit, est, ut igne utaris fortissimo, qualis ad fusionem auri requiritur: nec enim absque hoc rubedinem pyropi consequeris.

† Non vulgari, qui nihil hîc, in quo magnopere exclames, efficiet, sed philosophico, quem ego ad hanc tincturam extrahendam, sic paro. *Recipe salis ammoniaci tertiò sublimati uncias quatuor: spiritus vini supra sal tartari distillati, ita ut ab omni phlegmate sit liber,*

vitro abstrahi, & per diuturnam in igne circulationem in summam, utilem, & efficacem medicinam perfici, atque exhiberi potest.

Vitrum antimonii album. Vitrum autem pellucens, candidum antimonii post commixtionem ejus hoc modo præparatur.

Recipe antimonii minutim triti vel contusi unam, boracis Venetæ puræ partes quatuor. simul contere, vel contusa, misce, impone crucibulo, benè fluant; primum quidem evadet flavum, sed si diutius in igne maneat, evanescet flavedo, & accipiet colorem album, *unde*

uncias decem, pone in phiala in igne digestivo, ut spiritus vini sulphure vel igne salis ammoniaci repleatur: deinde distilla per alembicum; id repete, & tertiâ distillatione opus hoc absolve, & habebis verum menstruum, quo rubedo ex vitro antimonii extrahitur.

Extrahitur etiam tinctura hujus vitri proprio ejus aceto, quæ ulteriore operatione perficitur, in præstantissimum medicamentum.

unde vitrum pulchrum, & primum album. Qui color an ad maturitatem ſuam perductus ſit, ut ſupra, ferro frigido probatur.

* Multis præterea modis ex antimonio vitra formantur conſtantia infinitis propemodum formis, ſed cum non propoſuerim hîc alia deſcribere, quàm quæ ipſe expertus ſum, & quæ ad ſanitatem felicem manifeſtarunt ſucceſſum, nil opus eſſe duxi aliis deſcribendis chartam impendere, aut lectori longâ oratione tædium creare: præſertim cùm tibi jam in ſolo vitro quod ex antimonio fit, ad felix rei principium præcipuus color, rubeus ſcilicet, ex parte propoſitus ſit: niger color, quo antimonium ante præpara-

* Qui plura vitra ex antimonio præparata deſiderat, Beguinum, Hartmannum, Crollium, aliosque conſulat: nos hiſce à Baſilio propoſitis acquieſcimus.

tionem imbutum erat, jam nunc per caminum ſpirituali modo evolavit, quandoquidem iſto ſpirituali modo plurima ſubſtantia venenata vi expulſivâ ignis, tanquam per calcinationem jam diſceſſerit. Quanquam vitro antimonii in hac ſua præparatione nondum omne venenum ſit ademptum, ſed adhuc plurimum retinuerit; volo autem, cum ſemel inceperim ulterius revelare tibi quomodo venenum huic vitro poſſit eripi, & aliam ſeparationem puri ab impuro, veneni à medicina aggredi, quo Oratori lingua ſolvatur, & occaſio detur, ut ei fræna laxet in laudes meas, easque magno clangore, qua patet orbis, dilatet, id quod neceſſariò conſequar à diſcipulorum meorum gratitudine, quando oculis ſuis videbunt, manibus tangent, & com-

Vitrum nondum caret omni venenoſitate.

comprehendent me iis veritatem ipſam ſine fuco ad ſummam eorum utilitatem declaraviſſe, & memorabilis teſtamenti hæredes ſcripſiſſe.

Separatio ſulphuris antimonii ex vitro.

Prima ergo ſeparatio ſulphuris à ſuo corpore, & extractio tincturæ à ſuo ſale hunc in modum perficitur.

Recipe ex puro vitro antimonii, quod te docui conficere ſine adjunctione rei cujusquam, * *tere id in pulverem ſubtilem, & inſtar farinæ impalpabilem, impone vitro prædito fundo planiore, quod*

* Breve eſt, ſed adeo utile, quod hîc moneo, ut ſine hac enchereſi, nec eſſe poſſit, quod præcipitur, nec unquam terendo corpus in mortario ad requiſitam tenuitatem perduxeris, multo etiam minus in lapide porphyrio. Prius ergo comminue in mortario, deinde miſce tantillum aceti diſtillati, ut pultis habeat craſſiuſculæ conſiſtentiam, & ita tere in lapide porphyretico, ut pictores colores ſuos comminuunt, & voti redderis compos ſine controverſia.

cucurbita *dicitur, affunde acetum forte benè rectificatum, & impone igni digestivo, vel si æstas sit, Soli expone, movendo id quotidie * semel iterumque, in eoque languido calore tamdiu digeratur donec acetum contrahat flavum colorem vergentem ad rubrum, qualis est auri mundissimi & bene purificati; tum effunde extractionem hanc claram & puram, affunde acetum denuo, & reitera hanc operationem, quamdiu acetum tingitur, ubi nulla amplius tinctura extrahi potest;* misce

* Felicem te si damno meo sapias, Philomathe! sequebar κατὰ πόδα hanc admonitiunculam, movendo bis terve de die cucurbitam, sed materia lapidis instar coagulabatur semper, & fundo adhæreſcebat, ut vi nulla posset avelli: donec cautior factus ab initio quinies aut sexies, & eo sæpius de die movere incepi materiam spatulâ ligneâ, tu, id si sapis, imitare, non tantum hic, sed etiam in superiore vitri antimonii præparatione, & omni extractione tincturæ ex antimonio.

*misce omnes has extractiones, filtra, & cucurbitæ impone, adde ei galeam, & per balneum mariæ distilla acetum, donec in fundo remaneat pulvis flavus ad rubedinem vergens: affunde aliquoties huic pulveri distillatam aquam pluviam, eamque distillando extrahe, iterumque affunde recentem, & distilla, repetendo sæpius, ut omnis aciditas eripiatur, remaneatque * pulvis dulcis &*

* Non te hic fallit Author syncerissimus, sed cheiragogiam quandam celat, quam si me clarè pandentem audis, votis tuis semper responsura non te fallet operatio. Si multum tincturæ habeas, magna fit cucurbita, si parum, parva. Etenim si majorem, quàm tinctura requirit, sumpseris, nimis magnam vim ignis requiret acetum, ut per alembicum ascendat, propter spatii, per quod ascendendum est, nimium intervallum: atqui tanto igni ferendo, quin corrumpatur, non est tinctura. Quod ipsum aliam præterea requirit cautelam: ut nimirum postquam duæ tertiæ distillatæ sunt, mutes vas tuum, minorique

cucurbitæ imponas restantem materiam, eamque distilles, donec restet justæ spissitudinis pulticula: cave autem ne, quod innuere videtur Basilius, ad siccitatem usque detrahas acetum, ne tinctura adustione prorsus corrumpatur.

Omni hac præcautione meâ nondum efficere potui, ut non integro anno laboraverim, sæpius hanc tincturam irrito semper conatu repetendo, unde totius penè Chymiæ subiisset ex desperatione tædium: nullius enim in Medicina efficaciæ erat tinctura mea, quippe caput tantummodo mortuum, & insipidum. Disce hinc, quàm parum sit processum aliquem, vel ex scripto compilare, vel etiam vivâ voce ab amico accipere, nisi manu quodammodo ducaris, & minimas erudiaris, quæ inter operandum observandæ sunt, encheireses. Simul vide quàm non parcè tecum agam, dum revelo id, cujus ignorantia tantis mihi stetit molestiis, & impensis. Encheiresis autem, quæ ad edulcorandam pultem istam, quæ in fundo remansit, requiritur, hæc est. *Pulti isti aquam distillatam affunde, eamque per balneum leniter abstrahe, ubi hoc tertium repetes, percipies tandem aquam dulcem prodire*, quod tempus summâ diligentiâ observandum est; si enim te fallat, acta res est, periit operatio tota, & nihil acquires nisi caput mortuum: nam simulatque guttæ

vi-

gratus : hunc pulverem tere in marmore vel vitro antea calefacto, impone cucurbitæ, affunde ex optimo ſpiritu vini ſummè rectificato, ita ut ſuperſtet ad altitudinem trium transverſorum digitorum, impone calori digeſtivo, ut ſupra, extrahetur tinctura antimonii ad ſtuporem amœna, alta, & rubra, & deponit quandam terram ſeu fæces in fundo.

viginti, aut ſummum triginta aquæ dulcis prodierunt, iterum prodit aciditas, quam vel imperiti hujus rei, vel incauti exiſtimantes eſſe aciditatem aceti in diſtillatione pergunt, expectantes donec aqua dulceſcat, ſed cum hæc ſit aciditas antimonii, quæ dulcem aquam, extracto aceto, ſtatim ſequitur, ſit ut hac perſeveratione in diſtillando pereat omnis virtus antimonii, & remaneat caput mortuum inutile, & inſipidum. Tu ergo cautior, ubi dulcis hæc aqua prodit, exime pultem, quæ in fundo eſt, eamque alteri vitro impone, & permitte ad calorem Solis, vel alium moderatiſſimum evaporare, ut pulvis ſiccus relinquatur ſuperſtes, & ubi charybdem hanc evâſeris, perge.

Extractio hæc est dulcis, grata, & virium tantarum in Medicina, ut nullus fidem sit adhibiturus, qui expertus non fuerit. Fæces, quæ resederunt, retinent venenositatem, sed extractio solam medicinam, quàm experientia docuit esse remedium externum pro hominibus & pecoribus.

Si enim hujus medicinæ sumantur tria quatuorve grana, pellit lepram & morbum, *Vires.* quem vocant *Gallicum*, purificat sanguinem, dispellit melancholiam, & resistit omni veneno, & quicunque angustiâ pectoris, spirandique difficultate laborat, aut punctione laterum, tandem liberatur usu hujus medicinæ. Pluraque alia mirabilia operatur hæc * medici-

* Hæc medicamenta, quæ operationes suas non sensibili vi, ut cathartica, emetica, dia-

dicina, dum ritè & tempore ſuo adhibetur.

Liquor ſulphuris antimonii.

Pulvis ille flavus, de quo di-ctum *antequam ſpiritu vini ex-tractus eſt, tritus in lapide cale-*

diaphoretica, & ſimilia perficiunt, ſed inſenſibiliter ſpiritibus noſtris ſpiritum univerſalem, quem ſecum puriorem deferunt, uniendo, naturam emendant, & ſanitatem reſtituunt, non ſunt adhibenda, niſi prius corpus ſaburrâ humorum peccantium ſit exoneratum; aliàs gemmas has mittes in ſterquilinium, ubi ſordibus obrutæ lucere, & vires ſuas oſtendere non poterunt: ſunt enim quamvis univerſalia dici poſſent, propter virtutes eorum multiplices, topicis annumeranda, quibus juxta Galeni, omniumque paſſim Medicorum ſententiam, generalia præmittenda ſunt.

Tinctura de qua hîc ſermo: præſtat ea omnia, quæ Baſilius hîc enumerat, ſi per aliquot tempus uſus ejus continuetur, ſicubi enim locum habet dictum illud, medicinæ adhibitæ juvant, continuatæ ſanant, certè iis, quæ inſenſibiliter operantur, imprimis debet applicari.

*facto, imponatur * ovis ad duritiem coctis, loco vitelli, qui exemtus est, ponaturque in loco humido, vel penuario, solvetur pulvis in liquorem flavum.* Liquor hîc
Vires. admirabilis sanat omnia vulnera recentia, si sub initium molli plumâ indatur vulneri, & illud stiptico, aut alio emplastro præservativo circumdetur, omnia vulnera recentia seu punctim, seu cæsim inflicta, hoc liquore sanantur, sine putrefactione, inflammatione, aut ullâ puris superfluitate, ita perfectè, ut meritò ei, qui cælum & terram creavit, iis que talem medicinam indidit, laudes gratiæque reddantur.

In

* Ova quidem mollia semper, ut dicitur, cautè, & molliter tangenda sunt; at in duris istis etiam est quod te moneam; nisi enim caveris exempto vitello pelliculam illam, quæ albumen ab eo dirimit, constringere, miraberis balsamum tuum intra albumen se recipere, & te magnâ ejus parte frustrari.

In omnibus veteribus, malignis, & corrosivis vulneribus utere hac extractione, seu balsamo antimonii, nunquam te in necessitate deseret, & ipse post me laudum ejus encomiastes virtutes ejus deprædicabis, quibus exterius adhibitus beat mortales, lupus & * cancer

* Si chirurgi Authori nostro hîc fidem haberent, quanto studio sibi hoc balsamum compararent, quanto fructu, & quàm frequenter adhiberent. At ego fidem meam interpono, Basilium longè etiam infra laudes ejus substitisse, plura enim præstat, quàm ipse de eo deprædicat. Historiola una ex Observationum mearum medicarum centuriis desumpta, id confirmabit. Fœmina ætate quadragenaria, jam septem omnino annos in læva mamilla, magnos dolores patiebatur, quos tumor cum duritia comitabatur. Quos illa consuluerat Chirurgos & Medicos, uno ore omnes cancro eam laborare judicaverant, & laborabat cancro, etiam judicio Practici illius famosi, qui *Orscboti*, (pagus is est circa *Sylvam Ducis*) satis laudabiliter, & verò feli-

cer ei cedunt, caries in ossibus, ulcera maligna, à vermibus cor-

citer in chirurgia versatur, & ingentem hominum turbam ad se trahit, is enim postquam tribus mensibus medicari huic morbo conatus fuerat, tandem non nisi membri ablatione hunc extipari posse, severè pronunciavit. Fœmina potius omnes morbi dolores perferre pertinax, quàm tam ferali & ancipiti uti remedio, ad me venit: ego autem mamillam contemplatus prorsus inflammatam, duplo alterâ majorem, & copiam tenuiorum humorum ad vulnus affluentem, omnia prius experiri volui, quàm sinerem miseram perire: atque animum in hoc balsamum intendens, tentare num qui in aliis morbis promissa Authoris sui implevisset, hîc falleret. Ægræ itaque ore hiante responsa præstolanti dixi, intra octiduum me pronuntiaturum ecqua citra exstirpationis remedium affulgeret salutis spes, simul hoc remedium dedi, ut eo mamillam suam perungeret: res mira, intra biduum materia ad concoctionem pervenit, & justam consistentiam; bonæ ergo spei plenus adjunxi intrinseca, & extrinseca, quæ rei videbantur convenire remedia, atque duorum mensium spatio plenam sanitatem fœmina consecuta est. Ego autem non sine peculiari gaudio benedixi Domino, qui tantam virtutem huic balsamo largitus est

corroſa & perforata, eum fugiunt, revocatque priſtinam ſanitatem, & ei præparat apud ſe hoſpitium, quando fixitas ejus intrinſecus, & alia media convenientia extrinſecus ritè adhibentur. Vitrum antimonii duobus etiam modis à me in oleum reducitur diſtillatione, ut vocant per alembicum.

*Sume vitrum prout ex minera antimonii eſt confectum, ſubtiliter tritum, extrahe per acetum diſtillatum tincturam, poſtquam acetum abſtraxeris, & edulcaveris, addes ſpiritum vini, quo extrahes tincturam, eamque benè clauſam in pellicano circulabis menſe integro: poſtea diſtillabis id ſingulari quadam * dexteritate* *Oleum vitri antimonii.*

te

* *Hoc opus, hic labor eſt*; pauci admodum quos æquus amavit Apollo veri artis filii potuere tincturam per alembicum transfundere. Enchereſi quadam, ut ait Baſilius, opus eſt: hanc

hanc annis plurimis quæsivi, & tandem, Deo auspice, inveni, visne eam tibi per ænigma dicam? avidum te video; accipe magnum hoc mysterium. *Festina lente,* pingit Alciatus, & anchoræ Delphinum implicat. Existima hoc tibi, ut in omni vita, ita in hac re apprime esse utile; *canis enim festinans* ut scis, *cæcos parit catulos*: itaque te iterum, iterumque moneo, ut ei per junonem, bacchum, & vulcanum alas quidem præparandas cures, sed per animam tuam ne subitò volare permittas, da eum mercurio erudiendum, ut paulatim volatui assuescat; imo fune astrictum tene, ne instar avis caveâ liberatæ, extra potestatem tuam constitutus, per ignorantiam propius ad solem accedat, & cum Icaro plumis adustis in mare præceps ruat: sed postea tempore suo ei fræna laxabis, ut evolet, atque perveniat ad insulas illas fortunatas, quò oculos intendunt omnes filii artis, & quò pervenerunt omnes, finem optatum & diu quæsitum adepti. Hìc faciem depravas, & caperas frontem Philomathe, & tanquam si te hiantem, ostenso Tantalico pomo, deluserim, indignaris? quid faciam, ipsum te consulo: visne hìc margaritas ante porcos projiciam, & omnibus exponam mysterium, quod tam sanctè solis tanto privilegio dignis artis filiis revelandum, majores nostri servaverunt, ipse tu nihil mage dolebis, meque execraberis si fecero.

In-

te per ſe ſine additione, & accipies mirabilem, gratam, & dulcem medicinam. In forma olei rubri, ex quo deinde lapis ignis *formatur.* Hoc oleum eſt quinta eſſentia, quæ ſummum eſt, quod de antimonio ſcribi poteſt,

Intelligunt me, qui artem intelligunt: quique ſunt Chymici, iis viam aperui, quam ſi diligenter calcaverint, pervenient quò tendunt. Mihi nemo tam clarè revelavit; ſed ſcripta authorum legendo, ſtrenuè laborando, & ſine defatigatione aut deſperatione Deo confidendo (quod precationis genus eſt efficaciſſimum) tandem impetravi, quod habeo. Stude & tu, & curre, ut comprehendas: qui enim novit tincturas reddere volatiles, jam admiſſus eſt in penetrale ipſum, & conclave artis Chymicæ; eadem enim eſt ratio omnium. Perlege fabulas, ſcrutare ænigmata, conſidera parabolas omnium ſapientum, omnes huc tendunt, omnes idem dicunt: compara cum hoc meo ænigmate, aliorum parabolas, & hoc cum illis: ut intelligas, quantum ego claritatis in omnibus addiderim, & quàm facilem tibi ſtraverim viam ad ſapientiæ illa templa ſerena.

test, ut etiam in superioribus meis scriptis, in quibus brevem feci declarationem antimonii, invenitur, in quibus indicavi quatuor instrumenta requiri ad præparationem ejus, & quintum in quo vulcanus fixit domicilium. Intellige quatuor præparationes fieri oportere, antequam perfectum sit, & quintum est utilitas, & ordinatio operis in corpore hominis. Primus labor est *Calcinatio*, & *liquefactio in vitrum* Secundus est *digestio*, per quam extractio perficitur. Tertius est *coagulatio*. Quartus est *distillatio* in oleum, in qua primum subtile à non subtili separatur, & post eam separationem sequitur *fixatio* per ultimam coagulationem, per quam tandem materia ad pellucidum ignitum lapidem reducitur; qui ut in metalla operetur,
dein

dein fermentari debet propter proprietatem ſuam penetrativam: at non tantum, quantum lapis ille vetus Philoſophorum, quia non univerſale eſt, ſed tantum tingit particulariter, de quo ſub finem plura dicentur, ubi de lapide ignis tractabitur.

Hoc, de quo locuti ſumus, diſtillatum * oleum, omnia efficit,

* Ni Baſilium noſſem, hîc eum pariter tecum agyrtam agere, vel circumforaneum Medicaſtrum putarem: ſed res ipſa mihi toties pro eo locuta eſt, ut religio mihi foret de promiſſis ejus tantillum ambigere; quæcunque enim expertus ſum (pauca autem hoc libro continentur, quæ expertus non fuerim, nam ipſe mihi ab initio Doctor, amicus fuit, & patronus) adeo ſupra promiſſa ejus inveni efficacia, ut parcus mihi videatur fuiſſe in declarandis medicamentorum viribus, ne dum illa laudaret, ſe nimium videretur commendare. Non ſuſcipiam tamen hîc vicarias ipſi partes, qui non credit, experiatur, & ſciet: quem ſua ab experiendo deterret incredulitas, jam

jam fructibus ejus carendo, satis magnas dedit peccati sui pœnas. Est enim oleum hoc, si tempore suo ritè usurpetur, medicina verè universalis. Adverte, quæso, quid dicam, *si tempore suo ritè usurpetur*, id est, purgato prius corpore ab humoribus crassioribus & crudis, adhibitisque, ut me adhuc monere memini, medicamentis generalibus; est hoc oleum medicina universalis ad sanandos omnes morbos sanabiles: non enim eò dementiæ adegit Chymicos medicamentorum suorum bonitas & virtus, ut non existiment aliquos morbos esse non sanabiles. Quis enim restituat membrum aliquod principale jam putredine absumtum? nolo tamen ut omnia existimentur Chymicis hisce nostris remediis insanabilia, quæ passim pro talibus vulgo jam sunt condemnata; humorem verbi gratiâ christallinum, quem toties ablatum restitui, quis non judicabat, reduci non posse? sed de hoc & similibus alius erit scribendi locus. Modò de medicamento hoc, quod omnis generis febres, etiam opprobrium illud vetus Medicorum, *quartanam* sanat, & in chronicis omnibus mirabiles edit operas, unicum dabo ex observationibus meis experimentum. Anno 1665. puella unius & viginti annorum hydrope in enormem distenta crassitiem auxilium à me, ego pro illa ab hoc petebam medicamento. Dabam ei enim nihil aliud, quàm bis

cit, quæ Medico ſcitu ſunt neceſſaria, quibusque ei eſt in curatione ſua opus. Doſis ejus ante coagulationem ſunt grana octo, ſumpta cum vino mero: hominem facit rejuveneſcere, liberat omni melancholiâ, & quidquid in hominis cor-

bis de die hoc ipſum medicamentum, cui adjungebam quotidie clyſterem: & intra dies viginti tantum ſudavit, ut corpus mediâ ulnâ attenuaretur; intra, quod dixi, viginti dierum ſpatium urinæ etiam reddebat iſto tempore ab eodem medicamento provocatæ non parum, ſed ſudor erat admirabilis.

Nota autem, amice Philomathe, ſi fortè vel ipſe conficias, vel ab alio confectum recipias hoc oleum, illud non imitari aliorum diaphoreticorum in operando conſuetudinem, quæ uſurpata, prima doſi provocant ſudores: ſi namque corpori ingeratur obſtructo humoribus, prima doſi nihil agit, quàm blandè vias aperire ſudoribus, alterâ die ſudores lentè & molliter educit, tertiâ die ſudatur; quartâ autem, & aliis deinceps natatur in aquis, ut ipſæ tandem per lectum diſtillent in pavimentum. Opus hîc eſt Medico, nec clava Herculis multum proderit, ſi non in manibus ſit Herculis.

corpore accretionem & augmentationem accipit, ut crines & ungues decidunt, & renovatur homo ut Phœnix (siquidem commentitia hæc avis, quæ tantum exempli gratiâ à me adducitur usquam terrarum invenitur) innovatur per ignem. Et hæc Medicina non magis igne comburi potest, quàm plumæ Salamandri istius incogniti: consumit enim omnia symptomata in corpore humano, ut ignis consumens, cui meritò assimulatur, fugat omne malum, & expellit omne id, quod aurum potabile potest expellere. * Astrum solis solum

* Nemo hîc prodigè aut temerè aurum suum profundat, dum audit de astro solis, neque discrimini se exponat, ut cum mercurio vulgari periculosa ineat certamina. Lucet in mundo chymico sol alius, alius Jovi famulatur mercurius. Non tamen aurum chymicus hîc sol est, aut mercurius; sed auri omni præ-

lum omnem medicinam mundi excellit, quando ritè præparatur ad perfectam fixationem: astrum enim solis, & astrum mercurii ferè oriuntur ex uno matris suæ sanguine, & ex una origine vivificæ sanitatis.

Jam neminem sollicitum habeat, ne hoc oleum antimonii cum aceto distillato, & postea cum spiritu vini quàm purissimè, & subtilissimè extractum, & ulterius per vulcanum, quàm potest maximè, exaltatum, fortè aliquâ ratione purget, aut frequentes excitet secessus, aut alterationes aliquas faciat: nequaquam enim ista efficit, sed tantummodo per sudorem, urinam, & salivam ad

præstantior, omni mercurio, etiam fabuloso, qui mortuos revocabat ad vitam, potentior: est aurum & argentum vivum Philosophorum, quæ hic tangit Basilius: sed nos agimus, agamusque tantùm de antimonio.

ad ſtuporem expellit radicem morbi, & inſtaurat quicquid ſymptomate aliquo corruptum eſt.

At vulgare vitrum antimonii ſubtiliter teritur, deinde ſex grana vel plura ſecundùm vires naturæ, modico vino in calore per noctem imponantur, mane relicto pulvere * vinum de-

* Atque hoc eſt vulgare vomitorium, ſeu vinum emeticum, quo nunc paſſim omnes circumforanei utuntur, nonnunquam felici, nonnunquam contrario, ſemper ambiguo ſucceſſu; quod partim à Medico, partim à medicina proficiſcitur. Miſerat, ut hiſtoriæ narrant, Georgius Caſtriotus Epirotarum Rex, Mahometi Turcarum Imperatori, id ſæpius efflagitanti, tot mirabilium patratorem gladium ſuum, quem cùm Turca ex fœdere remitteret, neque ſe videre in eo quicquam ſingulare, diceret. Reſpondit Caſtriotus gladium quidem Scenderbechii miſiſſe, ſed non Scenderbechii brachium, quo gladius ille animabatur, ut miracula tanta patraret. Ita pleræque Medicinæ Chymicæ, præſertim aut mortuæ,

tuæ, aut, quod deplorandum magis, mortis ſæpe cauſæ ſunt, quando non animantur periti Doctoris manu, qui noverit eas tempore & loco adminiſtrare. Quæ ab ipſa medicina petitur infelicis ſucceſſus cauſa, eſt, quod nimiis adhuc imprægnata ſit proprietatibus mercurialibus, ut benè hîc annotat Baſilius, quas ego ſoleo modo, qui ſequitur, corrigere.

Recipe vitri antimonii puriſſimi uncias quatuor: boracis *Venetæ* unciam ſemis, *ſimul fundas, quod cùm arte factum eſt, conſequeris vitrum viride & pellucidum inſtar Smaragdi, hoc tere ſubtiliter affunde ei vinum Gallicum, itâque calidum quieſcat aliquot diebus.* Ex hoc vino da ægro ab una ad binas uncias ſecundùm ætatem, corporis habitum, vires, & cetera, vel naturalia vel non naturalia, quæ prudentia Medici ſemper in conſilium adhibet, dum de vita vel nece alicujus ſedet arbiter. Hoc vinum emeticum ſine periculo, quod quidem à medicina ſit, porrigi poſſe ægrotantibus, me certiſſima medicorum magiſtra docuit experientia, & hoc præterea: cùm vinum pulveri ſuperfuſum fuerit exhauſtum, ſi affundas rurſus novum, illud iiſdem imbuendum viribus. Hîc enim antimonium etiam id oſtendit, quod in eo eſt mirabilium omnium admirandum maximè, quod inexhauſtos contineat in ſe theſauros, & quamvis ex eo ſumas, vires ejus non imminuas; quod &

decantatur, & clarum bibitur, purgat per aliquot ſeceſſus, & ſæpe etiam vomitum movet per mercurialem immaturam proprietatem, quæ adhuc vitro inhæret, prout quisque intelligens Medicus facilè judicabit, & ulterius examinabit, quomodo hoc vitrum, dum eo purgare vult, examinandum, & ſecundùm Juſtitiam ſit adminiſtrandum; obligat enim plures homines ad inquirendum; ſolus namque ego omnia propter brevitatem temporis indagare, & perveſtigare non potui, tu te operi iſti accinge, & poſt me, imo mecum laudaberis, & ego te, ſi quid amplius inveneris, his meis ſcriptis laudo, & laudabo è ſepulchro, quod mihi deſtinatur, quamvis corpore ſis mihi

in erogando aceto ſuo, & in aliis, quæ Harpocratis ſigillo ſubjiciuntur, ſtupendum eſt miraculum.

mihi ignotus, nec ullam tecum, quippe fortè nondum nato, diſputationem inſtituerim.

Aliud oleum antimonii. Vitrum antimonii vulgare etiam per additionem diſtillatur in oleum laudabile & ſalutare, quod ſine periculo, ſummâ utilitate in epilepſia adhibetur, ut paulo poſt docebo.

*Vitrum teritur, quàm fieri poteſt tenuiſſimè, deinde ei affunditur omphacium, atque ita in cucurbita, quæ plani ſit fundi, benè lutata aliquot diebus digeritur, mox ſuccus omnis abſtrahitur: poſtea cum ſacchari clarificati pondere duplo ſpiritu aceti benè madefactum tere, atque retortæ impoſitum, in nomine Altiſſimi diſtilla, in fine igne vehementi, & acquires oleum rubicundum; quod ad perſpicuitatem usque cum ſpiritu vini eſt * clarificandum.* Hujus

* Dum ait, ſpiritum vini ad perſpicuitatem

jus usus, in parva quantitate adhibitus, inventus est utilissimus: huic oleo paululum spiritus salis adjungitur, & subtili præparatæ calci auri affunditur, quæ antea cum aqua sua præparata (quod quá ratione conficiatur, in aliis scriptis meis jam docui) alembicum transcenderit, tantummodo * tincturam auri arripit, & corpus

tem usque clarificandum: admonitio est brevis, sed operæ non exiguæ. Id enim vult, ut oleum istud trans alembicum agatur, cujus rei significationem & cheiragogiam te jam supra docui.

* Putasne intelligis, quæ legis Philochymice? non intelliges, nisi vel divinitus tibi Philippus, vel humanitus Oedipus appareat, qui modum tincturam hanc conficiendi clariùs edoceat. Difficultas ænigmatis in eo est, quod omnia menstrua, quibus tincturæ extrahuntur, ipsa colore ut careant, necesse sit; id ni fit, qui scire poteris, an rei tincturam consecutus sis, an eam tantum, quam affudisti,

ſti, retraxeris? Non te hic longis detinebo ambagibus, ſed quaſi manu ducam indicando quomodo hunc proceſſum anno millesimo, ſexcenteſimo ſexageſimo quinto inſtituerim, & ſi quid inde attendendo, & præcedentia cum præſentibus, & hæc cum iis, quæ ſequuntur, conferendo, utilitatis haurire poſſis, dilata cordis ſinum, nequid in terram effluat. *Oleum illud rubrum, quod jam jam dictâ operatione acceperam, rectificabam per retortam, & conſequebar oleum album acidi, ſed grati ſaporis; affundebam ei ſpiritus ſalis partem mediam: ponebam in phiala, ut bini hi ſpiritus ſe conjungerent, poſtquam menſe integro ſic digeſſeram, diſtillabam eos ſimul tertiò per retortam ad majorem eorum conjunctionem: tum ſuperfundebam eos calci auri (cujus conficiendæ methodum in aliis Baſilii ſcriptis reperies) deinde ponebam hæc ſimul in digeſtione: menſe elapſo tingebantur colore fulvo ad rubedinem vergente admodum ſaturato, effundebam tincturam molliter, eique in retorta repoſitæ blandè humorem abſtrahebam, ut pulvis rubicundus reſideret in fundo: edulcorabam eum aquâ diſtillatâ, atque iterum ſpiritu vini tincturam extrahebam, tum reddebam volatilem draconem iſtum, dabam caudam ei ſuam devorandam, ſex integris menſibus, & conſequebar tincturam dulciſſimam & gratiſſimam*, cujus grana decem vel duodecim exhibita ægrotis ſudo-

rem provocant, vires confortant, & ne intelligentem verbis obtundam, in morbis omnibus tum corporis, tum aliis, est medicina universalis.

Cum hîc omnium tincturarum præstantissimæ inciderit mentio, semel Chymicum docebo, quod illi ubique erit usui. Plurimum scilicet referre, quo quæque tinctura extrahatur menstruo: non enim sufficit, quæ erronea multorum est opinio, ut corrosivitate careant, ac sint dulcia menstrua: sed oportet, ut peculiaris sit iis amicitia & convenientia cum mercurio corporis, cui superfunduntur, ut verum & syncerum sulphur ex illo extrahant. Exemplo te docebo, quid velim clariùs. Aqua distillata tincturam extrahit ex sulphure, quod per acetum distillatum ex vitro antimonii factum est: at si jam purum ab impuro separatum esse tibi persuadeas, falleris: aqua enim ista sal quoddam imbibit, quod tincturam inficit; at spiritus vini rectificatus ejus proprium est menstruum, hoc enim sulphur ejus volatile solummodo assumit, nullumque habet cum sale commercium.

Idem evenit in tinctura corallorum, quæ spiritu vini super cortices aurantiorum distillato extrahitur; hîc enim synceram corallorum tincturam non consequeris, quia per hoc menstruum purum sulphur à corpore coral-

;orallorum non ſeparatur; eumque errorem in plurimis experientia mihi detexit, quæ optima eſſet magiſtra, niſi didactrum in hac arte exigeret, ſæpe nimis pretioſum. Sed ut cum tinctura, unde hic omnis fluxit ſermo, concludam; nemo exiſtimet hanc eſſe aurum potabile Philoſophorum: Hic enim error in Philoſophia eſſet maximus, & anſam daret Sophiſtis ſua, ut ſolent venditandi ſupra veritatem. Licèt enim pretioſiſſima ſit tinctura, & tinctura auri, colorem tamen ejus ſolummodo aſſumpſit, pondus ejus, quod auro potabili proprium eſt, non hæreditavit. De hac potabili medicina non eſt hic agendi locus; ne transgrediar, quos mihi ipſe circumdedi terminos commentandi ſuper curru triumphali antimonii, quem illi Valentinus noſter Baſilius conſtruxit verè magnificum. Aliàs dicendum mihi foret, quomodo ſol præparari poſſit per venerem & vulcanum, ut ſpatio duarum horarum ſe reſolvat in mercurium unitum cum baccho, relinquens fæces exiguas, quod mercuriale menſtruum iterum ab auro reſoluto ſeparatur; & ita acquiris liquorem ponderis graviſſimi, qui deinde nunquam ad priorem conſiſtentiam reduci poteſt. Quam operationem curioſis quibusdam philochymicis oſtendi. Sed de his aliàs alius dabitur dicendi locus.

pus intactum relinquit. Cum hæc fermentatio est facta, opus mihi foret ingenti chartarum mole, ut omnia naturæ arcana declararem, quę præter omnem hominum opinionem hac medicina efficiuntur.

Tantum id Medico inculco, ut ea, quæ propono Philosophicè consideret, laborem arripiat, & præparationem perficiat, & perducat ad usum, & ipsemet quotidie plus laudis inveniet, & plures operationes ex eo discet, quàm ullus ei aliorum Medicorum potuerit præscribere.

Ubi antimonium eò perduxisti, & rectè perfecisti, in quo prudenter agendum, resque fusè & profundè perpendenda, ut labore experientiam acquiras, tum te magisterium ejus assecutum esse, quod paucis admodum notum, vel communi-

municatum eſt, jactare poteris.

Hoc magiſterium mixtum cum ſolutione ſeu tinctura corallorum, & exhibitum cum aqua cordiali mira efficit in morbis, qui purificando ſanguinem curandi ſunt, & quidquid tibi offeretur, in quo ſanguis accidenti aliquo corruptus eſt, hoc magiſterium ſanat, cor exhilarat, caſtitatem, probitatemque promovet, & hominem ad rem omnem, quam aggreditur, aptum reddit, & idoneum. *Vires.*

Pro omnibus hiſce beneficiis Conditori, Conſervatorique rerum omnium ſemper ex intimo corde gratiæ agendæ ſunt, quod creaturas ſuas, corpore & animo infirmas, tantâ miſericordiâ reſpexerit, nobisque media ſuppeditaverit, quibus utrique morbo mederi, & in omni neceſſitate ſola-


tium, subsidium, & perfectum auxilium consequi possimus.

Nunc in animo est pergere, & de arcano antimonii quædam, sed summâ cum brevitate dicere.

Arcanum antimonii. *Recipe antimonii subtilissimè pulverisati partem unam, & sal * armoniacum sic dictum, quod ex Armenia adferatur, etiam pulverisatum, misce, † retortæ impone, & simul distilla, & ei, quod distil-*

* Antimonii & salis armoniaci ana partes æquales sumendæ sunt, quod Basilius voluisse videtur, sed nescio quomodo oblitus est dicere.

† Ut unâ eademque operâ distilletur ac sublimetur sal armoniacum simul cum antimonio fieri posset instrumentum, quale hîc tibi, partes ejus describendo, totum depingam. A. est Furnus. B. Retorta. C. Recipiens. D. Apertura in recipiente cum tubo mediocri, cui apponi posset alembicus E. Furnus est, F. qui mediocri suo igne ea, quæ incidunt in vas recipiens sublimat ad alembicum E. Atque


B
A
E
D
C
F

*distillando provenerit, affunde aquam pluviam vulgarem distillatam, sed antea calefactam, & salem omnem dulcorando aufer, ut nulla acrimonia remaneat, & antimonium apparebit plumarum instar purarum, & albarum relucentium, sicca eas subtili calore, & vitro circulatorio, seu pelicano impone, spiritum vitrioli bonum, & quàm optimè rectificatum affunde, & circula, donec benè * conjunctum, & unitum sit, dein-*

que ita materia, quæ ex retorta B. distillatur per ignem furni F. statim sublimatur; quod non hîc tantum, sed in omni sublimatione potest esse usui.

* Hæc unio tam arcta esse debet, ut distillando, alterum sine altero non transeat, aliàs oleum tuum perdidisti & operam. Quanti hæc unio sit in Chymia momenti, norunt ii optimè, qui res duas tantummodo confundendo, mira se putant effecturos, at postea, fallente eos experientiâ, discunt, quid inter unionem & confusionem intersit; res enim confusæ nihil accipiunt virium, quod iis antea

deinde ſimul diſtilla, ſpiritum vini affunde, & iterum circula, tum fiet ſeparatio, fæcibus ad fundum ſubſidentibus, eas ſepara, ſed arcanum permanet mixtum cum ſpiritu vini, & vitrioli : quando

tea non inerat; at unione, neſcio quis rebus ingeneratur ſpiritus, qui ea præſtat, quæ numquam homini veniſſent in mentem inde potuiſſe exiſtere. Adverte hîc in generatione animalium (quis crederet!) ex unione elementorum generari poſſe viſum, guſtum, tactum, & tot animalium potentias, quæ nulli elementorum inſunt, & tamen ex unitis emergunt : ſi quando contingat, ut aliqua tinctura ſe menſtruo univiſſe videatur per digeſtionem, & poſtea ſeparetur, id ideo fit, quia non legitimè celebratum eſt matrimonium, nec perfecta debito modo eſt unio. Id quod in tinctura ſolis & antimonii non ſemel videbis accidere.

Inſtrumentum quo ego tincturas meas conjungere, & in individuam ſocietatem copulare ſoleo, poſtea in hoc ipſo libro depictum reperies. Id in ſpiritu vini notandum eſt, quod in aliis menſtruis non ita accidit, quod rebus aliis facillimè unitur, & iterum levi artificio ab iisdem ſeparatur.

jam hoc arcanum iterum rectificas, una ejus gutta cum aqua rosarum exhibita, plus valet, quàm olla plena decoctionis herbarum, excitat orexim comedendi, corrigit stomachum, & quod in eo est malignitatis concoquit, pellit tristitiam & melancholiam, probum efficit sanguinem, bonamque digestionem; in suffocatione matricis, & passione colica, quòd utramque mirè sedet, thesauri instar habet pretii inæstimabilis, & laudem meretur non facilè verbis explicabilem.

Elixir antimonii. Post arcanum antimonii ordine sequitur * *elixir* ejusdem, quod hac ratione conficies. *Sume in nomine Domini, bonam mineram antimonii, tere subtiliter,*

* Hic processus ut facilis est factu; ita facilè à nobis præteritur, ne prurigine potius scribendi, quàm obscura illuminandi calamum sumere videamur.

ter, & sublima cum media parte salis ammoniaci, quicquid sublimatum fuerit, impone retortæ vitreæ, & ter distilla, post singulas distillationes fæces separando, tandem sal armoniacum aufer dulcorando, & materiam antimonii, probè clausam, reverbera igne moderato, non nimium pellendo, donec fiat instar terræ cinnabaris, quo facto affunde acetum forte vini distillatum, & extrahe ejus rubedinem, acetum abstrahe, donec remaneat pulvis, quod fieri debet in balneo mariæ, deinde extrahe cum spiritu vini, ut fæces separentur, & habebis extractionem claram & puram. Hoc peracto, impone hunc spiritum vini cucurbitæ unà cum extractione, appone nonnihil tincturæ corallorum, & quintæ essentiæ rhabarbari, & exhibe dosin trium, aut quatuor guttarum. Efficit molles secessus, & purgat sine ven-

ventris torminibus, siquidem præparando benè processeris, efficit sanguinem agilem, & iis apta est medicina, qui desiderant molliores secessus.

Hîc mirabitur fortè Medicus aliquis, quî fieri possit, ut hæc medicina sedes efficiat molliores, cùm antimonium materia sit vehemens & dilacerans, eique adjungatur rhabarbarum, quod per se etiam vim habet purgandi: parcat hîc admirationi, quæso, & sciat antimonii vim illam venenatam purgatricem hac præparatione ita mortificari, ut nihil apprehendere, vel expellere possit; sed simulatque ei purgans aliquod ex simplicibus adjungitur, illud ipsum secundùm vires naturæ suæ fungitur aperiendi & purgandi officio; antimonium verò præparatum

tum * nihil quicquam negotii habet cum ſtomacho, ut inde ſordes expellat, ſed acquirit per medicinam purgantem quaſi campum apertiorem, ut ſine impedimento alio quodam modo operetur, atque ut videat, imo ut quærat viam ſine impedimento id melius efficiendi, ad quod ordinatum & præparatum fuit.

Hîc fidem exigo ab omnibus cùm nulla me ſubigat neceſſitas, ut minus vera ſcribam; hoc eo modo præparatum elixir penetrat purgatque corpus, quemadmodum antimonium penetrat aurum, illudque liberat

* Nota hîc iterum iterumque cathartica Galenica vires quidem habere humores educendi, ſed non habere corrigendi. Chymica autem pollent utraque facultate, & certè, non quantum eductum ſit, refert, ſed quantum ſanatum: quòd potius occulta facit Chymicè, præparatorum medicamentorum occulta poteſtas, quàm publica illa purgandi violentia.

rat ab omni impuritate. Quod si fusè velim omnes vires virtutesque ejus commemorare, precibus mihi Deus cæli exorandus foret, ut me dignaretur vitâ longiore, quò possim mirabilia ejus laudare, altius investigare, & secundùm veritatem aliis communicare, ut mecum rapti in admirationem, Creatori suo publicè reddant pro tanta dignatione gratias.

Quò autem mihi propositoque meo satisfaciam, postquam semel incepi, describo hîc virtutes antimonii, quantum eas experimentis assequi potui: id, quod me etiamnum latet, silentio prætereo; nec enim me decet de rebus ignotis, nec adhuc experimento cognitis ferre judicium, sed ea aliis judicibus, commendo, qui studio & labore in eo quid profecerint. Nec enim quis-

quisquam unus in antimonii viribus cognoſcendis ita expertus eſt, ut nihil reſtet diſcendum, tum propter vitæ brevitatem, ut antea dixi, tum vel maximè, quia quotidie novi quid in eo invenitur.

Sciant ergo homines antimonium non tantum aurum purgare, mundare, & ab omni peregrina materia, omnibusque aliis metallis liberare, ſed idem efficere vi ſibi innata in hominibus, & pecudibus. Ut hoc rudi experimento probem. Si pater familias aliquam pecudem, verbi gratiâ porcum, ſaginandam ſeponere propoſuerit, ille diebus duobus tribusve, antequam id aggrediatur, det illi commodam doſin antimonii crudi, qualis eſt dimidia drachma, cibo permixtam pro porco, ut illum eâ ratione purget, quo acqui-

acquiret non tantum appetitum comedendi, ſed citius accreſcet, & pingueſcet, & ſi quo morbo laboret vel circa hepar, vel circa alias partes, vel etiam lepra porcorum, efficiet antimonium, ut lepra exſiccetur, & expellatur.

Pingue quid, & ruſticum quidem ſonare videtur hoc exemplum, auribus præcipuè potentum; propoſitum tamen volui, eo tantummodo fine, ut privati & laici, quorum cerebra ad ſubtiliorem illam Philoſophiam à natura non ſunt fabricata, oculis ſuis in ipſo opere videre poſſint veritatem ejus, quod circa hoc propoſui, ut & ſcripta mea alia, in quibus paulò ſubtilius de his locutus fui, tantò certiorem fidem inveniant: non tamen author ſum cuiquam, ut hominibus ejuſmodi ex crudo antimonio medici-

dicinam præbeat, multò enim duriores cibos muta animantia ſtomacho concoquunt, quàm tenera complexio hominum poſſit digerere, quapropter is, qui antimonio rectè & cum fructu utetur, prius ejus præparationem calleat, deinde doſin noſcat, quæ juvenibus, quæ ſenibus conveniat; quantùm robuſtis, quantùm imbecillis ſit exhibendum, in quo non minimum artis hujus conſiſtit myſterium, ignoratione cujus plus nocebit, quàm proderit imprudens Medicus.

Prolixæ ſcriptionis foret exemplis confirmare ſingula, abrumpam ergo ſermonem hunc, & tranſibo ad aliam antimonii præparationem, & fixitatem ejus deſcribam, quæ ſe habet inſtar vini, cui ſpiritus ſubtractus, & à corpore ſeparatus eſt, hic ſpiritus corpus hominis cale-

De fixitate antimonii.

leſa-

lefacit intrinſecus, at ſi extrinſecus circumponatur, omnem calorem partis inflammatæ ad ſe trahit: contra verò cùm ex vino acetum factum eſt, illud refrigerat tam intrinſecus, quàm extrinſecus adhibitum: quamvis tam ſpiritus, quàm acetum ex eadem ſtirpe provenerint, & ex eadem radice orta fuerint.

Ratio hujus diverſitatis eſt, quod acetum fiat per ſolam digeſtionem, per quam ſequitur putrefactio vini, unà cum vegetabili fixatione: contra verò ſpiritus vini fit ſeparatione per diſtillationem, ſeu vegetabilem ſublimationem, quæ ſpiritum reddit volatilem. Simili quoque ratione antimonium præparatur, & ſecundùm præparationes diverſas, diverſos habet effectus, & diverſimodè nobis communicat dona ſua,

quæ

quæ humano intellectui vix ſunt comprehenſibilia. Fixitas autem ejus, de qua hîc ago, hoc modo præparatur.

Pulvis fixus antimonii.

Recipe antimonii quantum libet, tere ſubtiliter, impone pulverem cucurbitæ, & affunde aquæ fortis tantum, ut ſuperſtet latitudine ſex digitorum, ponatur in calore ſubtili decem diebus benè lutatum & clauſum, ut extrahatur: hanc extractionem puram & claram per decantationem effunde, eamque filtra, ut omnibus fæcibus & impuritatibus liberetur, tum extractionem vitro impone, & omnem aquam fortem extrahe per diſtillationem in cineribus, vel arena, manebitque in fundo pulvis antimonii flavus & ſiccus: huic affunde aquam pluviam diſtillatam, ponaturque in ſimili vitro in calore moderato, & conſequeris extractionem rubram, hanc iterum filtra, & per

bal-

balneum mariæ leniter distilla aquam pluviam, manebitque pulvis rubicundus; huic denuo affunde acetum distillatum forte: hoc acetum contrahet cum tempore colorem rubrum instar sanguinis, & deponit fæces: hoc acetum iterum distilla, iterumque remanebit pulvis rubicundus: hunc pulverem reverbera operatione nunquam intermissâ tribus continuis diebus igne aperto, tum demum illi abstrahe tincturam per spiritum vini; fæces remanent, eas separa à tinctura.

*His omnibus tanto labore perfectis, separa iterum spiritum vini, distillando per balneum mariæ, remanetque pulvis * fixus, rubicun-*

* Prostat in officinis antimonium diaphoreticum, sed quod hîc nomine pulveris antimonii fixi indigitant, argento non est venale, nec auro, tanto virtutes ejus superant intervallo omne id, cujus vulgus fit particeps. Frustra tantâ attentione, tantoque studio (nam

cundus, qui admirabiliter operatur. Dosi mediæ drachmæ ter de die ſumptus, mane ſcilicet, meridie, & veſperi, vel ſæpius; non enim nocet homini, expellit omnem grumoſum ſanguinem ex corpore, diutius ſumptus aperit ſecurè periculoſa omnia apoſtemata, eaque expellit, radicaliter curat morbum Gallicum, crines novi, facit, ut creſcant, & renovat notabiliter totum hominem. *Vires pulveris fixi.*

Cùm jam docuerim conficere pulverem fixum antimonii, atque extractionem prorſus commodam ad uſum, jam eo relicto

I diſcur-

(nam iis inter præparandum hunc pulverem opus eſt accuratiſſimis) intenderet operi huic Philoſophus; ſi hæc tantorum effectuum myſteria manibus tractarentur vulgaribus, aut pretio fierent venalia: is cui contigit fixus hic pulviſculus, utatur eo in Chronicis morbis, præcipuè ubi ſudores ſunt excitandi, & effectus videbit, unde gaudeat, ſi ipſe in ſe uſus fuerit; unde glorificetur, ſi in aliis.

discursu, breviter de floribus antimonii agere proposui, qui multis modis pręparari possunt.

De his verò * maxima pars ne-

* Quantis Basilii temporibus Chymia impetita sit calumniis, patet ex tot reliquiis scriptorum, quibus & Theologi quidam, imprudenter judicantes, quæ non intelligebant, & Politici, non multò illis prudentiores libros suos imfamaverunt, dum iis, qui rem penitius examinaverunt, occasionem præbent existimandi eos non majore circumspectione ceteras censuras suas plerumque detonuisse in innoxios. Eos hîc non noto, qui circumforaneos Sophistas quosdam, artis nobilissimæ prætextu scelera sua tegentes, & magno nomine magnas fraudes populo obtrudentes, coarguerunt: est enim genus hoc hominum non tantùm coarguitione, sed etiam supplicio dignissimum: sed quid, quæso, boni meruêre, si nomine eorum abutantur mali? cur ars certissima, & tam salutaris, quàm utilis proscribitur, quia homines reperiuntur, qui non arte, sed artis nomine & umbrâ abutuntur. Sed nolo hanc pertexere apologiam, ne fortè in me ruat, quæ calumniæ maxima causa fuit, invidia, dum ita lamentantem, & suos

ſuos armantem audio Baſilium, eſt quod plaudam temporibus noſtris, quibus jam nonnihil evanuit denſiſſima illa nubes, quæ tanta diſjiciebat tonitrua. In officinis jam proſtant medicamenta, ut ajunt, chymicè præparata, ipſi illi, qui ſe vel maximè Hippocraticos dici volunt, vix audent Chymiam damnare, & ſubinde in uſum revocant, quæ ab arte chymica profecta eſſe, negare nequeunt. An tandem appropinquant illa tempora, quibus adveniet Helias artiſta, myſteriorum majorum revelator? quem tam dilucidè variis in locis μαντῶδεις venturum prædicit Paracelſus. Operæ pretium fortè erit ad ſolatium oppreſſorum diſcipulorum Baſilii adferre aliquot Paracelſi loca, quibus Heliæ, tum nondum nati, prædicit adventum; quæ ſi commodè quis, ut cetera viri illius dicta ſumenda ſunt, interpretetur, nihil in iis deprehendet abſurdi; niſi oſtendere velit abſurdam ſtupiditatem ſuam, vel ſceleratam invidiam. Libro ergo de mineralibus cap: 8. ita ſcribit. *Quod vilius eſt Deus patefieri ſinit, quod autem majoris momenti eſt, vulgo adhuc latet, usque ad Heliæ artiſtæ adventum*, alii legunt, *usque ad artem Heliæ, quando is venerit.* Et iterum in libro mineral. tractatu primo. *Verum quidem eſt,* inquit, *multa in terris adhuc latent abdita, quæ juxta cum aliis ignoro. Nam hoc ſcio Deum deinceps mirabilia multa patefactu-*

neque discurrere, neque respondere potest, quia processus talium operationum non didicerunt, minima autem pars, nempe discipuli, apostoli, & sequaces artis Spagyricæ scripta mea pluris facient, dili-

rum, & multò plura in lucem producturum esse, quàm antehac nobis omnibus cognita fuerint. Hoc item verum est; nihil est absconditum, quod non sit retegendum: ideo post me veniet, cujus magnale nondum vivit, qui multa revelabit.

Consolare, consolare ergo Philochymice, & præpara viam Heliæ isti, qui felicia adferet tempora, & plura revelabit, quàm antea majores nostri propter iniquitatem temporum & invidiam ausi sunt detegere. Quisquis es in hac arte versate, aliquod ad hanc felicitatem confer symbolum, & quam medicinam mundus propter prædominantes malos humores capere totam simul non potest, demus per epicrasim, ut paulatim convalescat, & veniant Heliæ tempora, (*æque enim artes*, addit Theophrastus *Heliam habent, ac de cetero intelligitur*) quando liceat de his liberius loqui, & sine persecutione impiorum, apertè prodesse proximo. Hæc lege, intellige, consolare.

diligentiùs legent, & prudentiùs de iis judicium ferent. Hoc tamen te præmoneo, mi· discipule, & apostole, si vis imitator meus esse, tolle in principio crucem tuam, & patere, prout ego passus sum: disce persecutionem tolerare, uti ego eam tuli, labora, prout omnes majores nostri mecum fecerunt, precibus continiis insta, & pulsa aures Domini Dei, & sis patiens, & laboriosus sine tædio, nec te deseret Altissimus, qui me clementer exaudivit; quare ei singulis horis gratias ago, quemadmodum oculi mei lachrymis oppleti testantur. Sed ut pergam in instructione mea de floribus antimonii, sciendum est, veros antimonii flores non uno, sed variis modis posse præparari, quod neminem latet Spagyrorum. Sunt qui eos mistos *Flores antimonii.*

cum ſale armoniaco agunt per retortam, deinde reddunt eos dulces, auferendo ſalem armoniacum, hosque magni faciunt; ſunt etenim hi flores pulchri albique coloris. Alii inſtrumenta peculiaria ad hoc habent præparata cum cavernis ventoſis, per quas antimonium aërem recipere, & ſublimari poteſt. Alii eos ſublimant igne forti, imponendo tres alembicos ſibi invicem, & unâ eademque operâ conficiunt flores albos, flavos, & rubros; quas ego omnes vias ingreſſus ſum, & nullum in eis errorem inveni: at modus, quo ego flores utiliſſimos ad medicinam, & efficaciores in operationibus ſuis confeci, hic eſt.

Præparatio florum antimonii.

Miſcui flores rubros antimonii cum colcotare vitrioli, & tertium cum iis ſublimavi, ita eſſentia vitrioli ſimul aſcendit, & flores fiunt

fiunt fortiores, quo facto extraho eos flores ſpiritu vini; ſubſidunt feces, ſeque à ſpiritu ſeparant, easdem artifex ſeponit, & ſpiritum vini diſtillat in balneo mariæ, donec remaneat pulvis ſiccus; atqui hi ſunt flores mei antimonii præparati, quos ego exhibui fratribus meis, aliisque, qui in neceſſitatibus requiſiverunt à me ſpirituale auxilium animabus ſuis ratione ſtatus mei Eccleſiaſtici, & corporibus ægris propter fiduciam, quam in arte mea reponunt.

Hi flores ſuaviter purgant ſine frequentibus aut exceſſivis ſeceſſibus, plurimas tertianas & quartanas febres, nec non alios complures morbos ſanaverunt; adeò ut propoſuerim auxilio Servatoris mei Jeſu, & Sanctiſſimæ Matris ejus Mariæ teſtamento ordinare perpetuum monimentum in altari *Vires florum antimonii.*

meo omnium, curationum quas ejus gratiâ perfeci; tum ut ea ratione Deo gratias agam, tum ut gratitudinem meam posteris notam faciam, ipsique agnoscant opera mirabilia Altissimi, quæ ego diligentiâ meâ ex visceribus naturæ extraxi, quæ ille in profundis ejus & secretissimis arcanis sepulta, recondiderat. De sublimatione autem antimonii, quæ postea flores vocantur, hoc præterea animadvertet lector, quod ii se habent instar aquarum, quæ in altis montibus erumpunt.

Sublimatio antimonii qui fiat.

Jam de differentia aquarum, quæ oriuntur in altissimis montibus, imo in altioribus, si possent reperiri, ad illos enim etiam aquæ ascenderent, quandoquidem in cacuminibus altissimorum montium vulgariter fontes scaturiant. Et aliarum aquarum, quæ fossione in profundissi-

diſſima terræ, & ſequendo ſcaturigines earum inquiri debent: poſſet quis judicare, matricem aquarum in terra ab una parte uberiùs eſſe repletam divitiis aquarum, quàm ab alia, cùm unumquodque elementum peculiarem matricem habeat potentem vel imbecillam, ut pariat ex ſydere, unde elementa originem ſuam ducunt & naſcuntur. Quando jam matrix ejusmodi fortis, & potens eſt in terra, etiam pellit ſemen ſuum fortiter, & efficaciter à ſe per vehementem preſſionem uſque montes nivales Alpium, vel ad uſque faſtigium ædificii turris * Babylo-

Quodque elementum ſuam habet matrem.

* Parabola hæc eſt maximi momenti, ſed ita clara iis, quibus dempta eſt cataracta ab oculis, ut iis illam explicare ſit diurnæ luci Solis lucernam accendere: quibus autem nondum ea detracta eſt, locus hic occaſionem non adfert, eam detrahendi: lege ergo, relege, & meditare, dies diei eructat verbum, & lectio

bylonicæ : si quis fatuorum hunc meum discursum audiat, me vel insanire, vel vino madere dicet; sed hæc communis erit mihi cum discipulis Servatoris nostri calumnia. Eadem ratio est sublimationis, quod sicut aquæ, quæ plurimæ in altissimis montibus inveniuntur, salubriores & gelidiores sunt, quàm eæ, quæ in fundo sitæ fossione altè eruuntur, ita si materia pressione, & vi ignis sursum pellatur usque ad montes veterum, qui jam dudum ante me dormierunt, sapientum tum terra, quæ plerumque inutilis est, remanet, usque ad salem, qui etiam separatim extrahi potest in usum suum, & præbet separationem per quam malum à bono, purum ab impuro, crassum à tenui, subtile ab eo,
quod

Lectio posterior explicatrix est prioris, & prior posterioris.

quod ſubtile non eſt, venenum à medicamento poſſit dignoſci. Nos miſeri mortales hîc propter peccata noſtra per mortem, quam meruimus, terræ imponimur, donec tempore putreſiamus, & in ſordes redigamur, & tandem igne, caloreque cæleſti ſuſcitemur, clarificemur, & exaltemur ad cæleſtem ſublimationem, ubi fæces omnes, peccata omnia, omniſque impuritas ſeparabitur, noſque fiemus filii Dei, & vitæ æternæ, ad quam me vobiſcum perducat miſericors & miſerator Dominus.

Spero autem neminem fore, qui in malam partem accipiet hanc mundani cum ſpirituali comparationem, qualis eſt cæleſtis exaltatio, cum terrena & temporali ſublimatione. Quod enim feci, nullus absque ratione factum eſſe arbitretur, ſciat-

que me aliàs non ignorare, quid album ſit, aut nigrum, quid differat aura tenebroſa & triſtis à ſudo cælo & ſereno. Abrumpamus ergo ſermonem hunc, & aliam proferamus antimonii præparationem. Habeat diſcipulus, apoſtolus, imo fidelis artis imitator hanc inſtructionem, & ſecundùm veram Philoſophicam doctrinam fideliter animadvertat, quod omnis extractio ex antimonio, quemadmodum etiam ex aliis rebus omnibus, in operatione magnam habeat differentiam, quæ nec in materia conſiſtit, nec per eam materiam, ex qua trahitur, cognoſcitur, ſed conſiſtit, & manet in præparatione, & in additione, per quam vis ex materia extrahitur, id quod ſecum adfert experientia.

Extractionum differentia.

Exempli cauſâ, quicquid ex antimonio, vel alia re quapiam

piam

piam ſpiritu vini extrahitur, aliam prorſus habet operandi vim, quàm ea, quæ bono & acri aceto extrahuntur. Cauſas hujus rei jam in aliis meis ſcriptis attigi, & earum præcipua eſt, quod omnia, quæ ſpiritu vini extrahuntur ex antimonio, vel aliis herbis, radicibus, aut ſeminibus purgantibus, (intelligo de prima extractione) potenter expellunt per ſeceſſum: contra verò quicquid per acetum extrahitur, non movet ſeceſſus eâ ratione, ſed potius obſtruit, & retinet peculiari quadam ratione, quâ volatile in fixum mutatur.

Hoc eſt ſingulare ſecretum, & magni pretii arcanum, ſed nulli, vel ſaltem pauci inveniuntur, qui ad hæc reflectunt, quia multa abſcondita ſunt, & latent altè ſepulta in hoc arcano, quæ hactenus nec domino-

rum, nec servorum quisquam, nec ullus sapientum hujus mundi animadvertit.

Extractio antimonii duplex. Fit ergo extractio antimonii duobus modis, aceto videlicet, & spiritu vini; acetum obstruit, & spiritus vini per se potenter expellit urinam, eamque promovet, quemadmodum etiam secessus, prout & alio loco & modo est dictum, & præcipuè ubi in duodecim meis clavibus dixi, *quod extractio ex vitro antimonii mediocriter purget, sed quod contra extractio ex vitro antimonii, quæ aceto facta est, non purget*, quod verum est, nec ullâ falsitate permixtum. Hæc autem experientia occasionem dat cogitandi & reflectendi, quâ ratione natura promotionem det, & parturitionem in verum Philosophum.

Hæc autem est res admiranda,

da, quòd omne id, quod ſpiritu vini primùm ab initio extrahitur, habeat proprietatem purgatricem.

Sed quando vitrum antimonii in initio aceto diſtillato extractum eſt, & poſtea extracto aceto iterum per ſpiritum vini ſeparatum eſt, abiit omnino vis illa venenata purgandi, adeo ut ne veſtigium ejus remaneat, nec ullam ſibi aſſumat vim ſedes promovendi, ſed operationes ſuas perficit per ſudorem, aliaque media, ſed præcipuè per ſalivationem & ejectionem per os, inquirit in omnia noxia, purgat ſanguinem, ſanat morbos pulmonum, & prodeſt iis, qui pectoris anguſtiis, & frequenti tuſſiculâ laborant; breviter quàm plurimis morbis medetur, etiam ſedat tuſſim malignam, & quicquid ejusmodi eſt indolis; eſtque medici-

dicina prorsus admirabilis.


Alia præterea fit extractio ex antimonio, hoc modo. *Antimonium crudum teritur, affunditurque ei acetum forte, non è vino, sed ex propria minera confectum, exponiturque simul subtili calori Solis probè clausum, post aliquot temporis intervallum tingetur acetum colore sanguineo, effunde hanc extractionem claram, filtra, & iterum per alembicum ex arena distillata ostentat colores admirabiles; amœnos visu, & inter distillandum miros aspectu.*

Extractio antimonii crudi.

Hoc * oleum fit tandem sangui-

* Hic tuam Valentine syncceritatem! Quis ex hac præscriptione tua conficiet istam quintam essentiam, quam Petrus Hispanus *lib: de quinta essentia omnium rerum* meritò extollit, tanquam maximum Philosophiæ secretum? Quid dicam? non te perversum, sed timidum facit hominum malitia, verentem, ne si pravis passim communicentur arcana, plus

plus illis efficiant mali, quàm boni. Hic itaque processus ideo tantum mihi à viro religioso (cur enim rem indicare nollet!) tam obscurè scriptus videtur, ut artis filii intelligerent eum ab ipso non ignoratum fuisse. Ut autem lector intelligas, te non frustra nummos emendo, tempus legendo hos commentarios impendisse, clarè tibi, & nudè exponam, quomodo sæpius eum perfecerim: adverte tu ad singula, ut nusquam deficias: operationes enim sic aliæ aliis concatenantur, ut unâ omissâ, vel negligenter factâ, ruant ceteræ, nec votis tuis labor respondeat. *Cape de optima antimonii minera, quæ friabilis sit (nam si antimonium crudum sumpseris, prout indicare videtur Basilius, nihil effeceris, quia subtilissimum suum sulphur primâ distillatione sua jam amisit) tere ita subtiliter, ut per byssinum transeat cribrum, impone cucurbitæ, & affunde acetum, quod secundùm artem ex propria ejus minera est distillatum, pone in digestione* 40. *diebus, & si omnia, quæ huc requiruntur, accuratè servaveris, tingetur acetum tuum colore rubro instar sanguinis: hanc tincturam rubram, per inclinationem effusam, impone retortæ, blandeque acetum extrahe: pulverem qui remansit, extrahe spiritu vini, ut iterum contrahat colorem sanguineum; eam extractionem impone circulatorio ei simili, quod hîc appingendum curavi, quia nullum unquam*



guinis inſtar rubrum, & multas relinquit fæces, valetque ad multas infirmitates, laudatur enim vis ſingularis, atque uſus ejus in lepra; novus morbus jam

quaminveni aptius, ut ſpiritus reddantur volatiles: tum impone balneo mariæ tam diu digerendam, donec videas tincturam ſe ſurſum attollere, & volatilem per alembicum tranſire, refrigeſcat tum, & impone omnem materiam cucurbitæ vitreæ, & diſtilla ſpiritum ſecundùm artem, & tranſibit rubicundiſſimus per alembicum, ut ſanguis. Deinde abſtrahe iterum ſpiritum vini, & habebis craſſum ponderoſum oleum. Quomodo hoc oleum deinde cum ſale ſuo conjungatur, & uniatur alibi dicemus; cujus uſus eſt in metallis emendandis maximus. Hic illud deſcripſimus, & eò perduximus, ut medicina ſit præſtantiſſima in gravibus morbis, quæ paſſim habentur pro inſanabilibus. Perficit totam operationem ſuam per ſudores. Et cùm nullus ſit morbus, cui non ſuccùrrat, quid opus eſt enumerare aliquos? ſatius eſt omnino tacere, quàm laudes ejus, quoſdam recenſendo, deterere. Nemo eſt, qui Chymiam vel à limine ſalutaverit, qui ignoret quid ſit quinta antimonii eſſentia.

Vires extractionis ex antimonio crudo. jam nuper inter milites exortus eo consumitur, & exsiccatur, & mira mirorum efficit. Medico ante omnia sit propositum diligenter in usum ejus animadvertere secundùm experientiam & notitiam suam, sed inprimis præparationem ejus ritè peragat sine tædio laboris, aut oblivione alicujus eorum, quæ præstanda præscribuntur.

Alia antimonii extractio. Alia rursum antimonii extractio hoc modo instituitur. *Sume antimonii in nomine Domini, & tartari crudi ana partes æquales: benè inter se trita, impone crucibulo forti, quod non sinat spiritus perrumpere, & ure hanc materiam, donec tartarum sit omnino combustum, quod in furno ventoso faciendum est. Hanc materiam exustam tere subtiliter, affunde aquam vulgarem antea calefactam, edulcora*

*cora materiam lixiviando. Fiet * hepar, ita jam multis antè tem-*

* Multi ſermonis cauſa eſt hepar in conviviis, non pauci nobis erit hepar antimonii in operationibus chymicis. Atque in primis adverte, loco tartari melius ſumi ſalem tartari, non tantum ad operationis compendium (nam aliàs tam diu fundendum eſt, donec tartarum in ſalem commutetur) ſed vel maximè, ut vitrum accipia coloris longè melioris. Obliviſcitur etiam, vel ob rationes quasdam omittit Baſilius admonere, quod vitrum effundi debet in pelvim antea calefactam, & contundi in mortario ante calefacto, aliàs vitrum hoc propter ſalem tartari ita quàm primum aëre imbuitur, ut continuò in cœnum vel pultem quandam commutetur. Omittit præterea determinare aquæ quantitatem, in qua pulvis jam tritus ſolvendus eſt, ut colorem accipiamus pulchriorem, & magè ſaturatum, in qua coloris exaltatiòne præcipua vis ejus ſita eſt. Præcipitationem præterea hepatis ex aqua, quæ aceto fieri debet ſilentio involvit. Atqui & hæc, & quæ jam dicta ſunt in hac operatione ſunt neceſſaria.

Neque hoc ego admonere prætermittam, quod & in hac, & in omni fuſione antimonii eſt

est observandum, ut ea instituatur cælo sudo & sereno, si aliter faxis, frustra deplorabis coloris in hepate tuo obscuritatem. Nam si me rideas multam in operationibus chymicis astrorum influentiis vim tribuentem, ego te multorum processuum sinistrum successum ridebo deplorantem. Nolo digredi in eum locum, ut hasce probem cælestium influentiarum virtutes, contra homines enim tam parum vel scientes, ut non intelligant, vel expertos, ut non viderint, & interim tam pertinaces, ut iis, qui viderunt, experti sunt, & rem ita se habere confirmant, fidem non adhibeant, ego non magis rationibus agere velim, quàm contra eos, qui etiammum mutationem metallorum per lapidem Philosophorum fieri negant. Quos ego, & mecum, qui toties id non factum esse, sed fieri conspexerunt oculis, & fecerunt manibus, contemnendos magis, quàm refutandos esse putamus. Rusticum enim illud *nego, nego*, quis evertet? Irritant homines isti pertinaces aliquando isto agendi modo bonorum, & consciorum artis patientiam, existimantes illos Zelo quodam confirmandi id, quod affirmant eò progressuros, ut experimentum iis artis præclaræ ostendant; sed non puto quemquam eorum, qui mysterium adepti sunt, adeò fore imprudentem, ut sic temerè margaritas porcis objiciat, & indignis

gnis

gnis ostendat, quid Deus ei revelaverit, & de quo pane ille edat, qui non est mittendus canibus.

Hoc ergo ad rem, unde digressus sum, rediens affirmo, esse quædam anni tempora, quibus si fiat hepar antimonii, & menstruo debito præcipitetur, alio prorsus imbuitur colore, aliisque præstat viribus, quàm id, quod alio tempore confectum est, idque tam ad metalla, quàm ad homines sanandos, ut ipse expertus, in multis gravibus morbis, & morborum symptomatis. Addam & hoc, ex hepate antimonii per spiritum vini extrahi posse rubedinem, quæ volatilis fit, & trans alembicum distillatur, quæ sine periculo omnibus exhiberi potest. Nec istâ cautione Basilii magnopere opus est, etiam antequam volatilis est rubedo, quod modicè sit propinanda. Data enim ad 30, 40, & 50 guttas, parum admodum sudoris excitat, nedum purgationem, aut vomitum movet. Sed mirabilia illa, quæ sanguinem purgando, radices morbi exstirpando, & hominem vegetum reddendo facit, per insensibilem expirationem, & occultas suas vires efficit. Vino huic vendibili opus non est eloquentiæ hederâ, quâ commendetur ægrotis, qui semel vires ejus experti sunt, sciunt quid valeat, & quantis illud expetant votis, quantis æstiment pecuniis.

temporibus à majoribus nostris nominatam : hoc hepar siccatum impone cucurbitæ , affunde spiritum vini purissimum , extrahe distillando per balneum mariæ spiritum , sic ut tertia ejus pars remaneat , sed antea debet spiritus vini unà cum extractione per chartam filtrari : hac extractione utendum quidem utiliter , sed modicè , magnâ enim prudentiâ est in usum revocanda. Atque in hoc admirandum accidit , quod spiritus vini extractus non amplius uniri possit cum rubra extractione , unde tractus est , sed alterum alteri supernatat instar aquæ , & olei, quæ commisceri non possunt. At si spiritus vini extractus superfundatur alteri hepati antimonii , denuo attrahit sibi , & hoc priori extractioni vel eidem superfusum non miscetur ; quæ res inter mirabilia cen-

Miraculum naturæ.

censeri potest. Sed quis posset declarare omnia mirabilia Dei? aut quis dignè æstimabit dona Creatoris, quæ creaturis suis implantavit? nobis altâ meditatione vix perscrutabilia.

Antea mentionem feci de extractione antimonii ex * vitro ejus per acetum, & etiam per spiritum vini: nunc autem dico, quando talis extractio per acetum facta est, & acetum per

* Sollicitum, & affectu plenum hîc agit Præceptorem Author noster, cui non dixisse sufficit, sed identidem inculcat præcipua doctrinæ suæ præcepta: quid autem illum specialiter moverit ad repetendum, præsertim vires sulphuris antimonii, non video: nihil se frustra repetere dicit; tu ergo lector, si tibi est tanti, attentius perpende, an hîc invenias quidpiam, quod dictum non sit, aut rationem cur iterum dicatur. Ego, qui intelligentibus me scribere profiteor, nihil hîc repetam, qui cepit, cepit, qui ibi non intellexit, vereor ut hîc intelligat.

balneum mariæ iterum extractum, pulvisque, qui remanet in loco humido, resolvitur in liquorem flavi coloris. Adeo mirabilia efficit in recentibus & veteribus vulneribus, ut ea calamo nec possim, nec ausim committere omnia; cujuscunque sint generis symptomata arcet, nec ullum radices sinit agere, nullam admittit putrefactionem in recentibus vulneribus. Eadem efficit etiam altera extractio ex hoc pulvere, antequam solutio per spiritum vini est facta, nec cedit uspiam aliis medicamentis, quæ ad internos affectus adhibentur.

Liquor vulnerarius.

Hanc præparationem sæpe attigi in aliis meis scriptis, etiam in hoc tractatu de antimonio ex superabundanti, quia scio quanta commoda, quantaque secreta in eo lateant; ideo spero discipulum nullo affectum


ſectum iri tædio propter repetitiones in ſcriptis meis, quæ fideliter aperio, & in lucem profero. Quicquid enim ſcribo, non fit ſine ratione, verbaque mea ſunt quidem brevia, ſed multum conſiderationis requirunt, quamvis ſæpius repetantur: ignàris diſcurſus mei parum admodum adferunt intelligentiæ, pueris & inexpertis parum utilitatis; ſed diſcipulis & apoſtolis meis plurimum ſalutis & proſperitatis.

Reſtat alia extractio per aquam cauſticam, quam experientia docuit hoc modo. *Recipe vitrioli, ſalis communis ana partes æquales, ex his diſtilla per latus *aquam, quæ cùm vehemen-* *Alia antimonii extractio.*

* Encheresin hîc te docebo, Philochymice, quam tanti tu facies, quantam ex ea commoditatem in operando percipies, ne, quod ſæpe fit, dum ſpiritus metallorum diſtillas,

ter per ignem pellitur, prodit materia instar tenuis butyri, vel amurcæ olei olivarum, hæc servatur seorsum ad usum. Caput mortuum teratur subtiliter, & solvatur in cella in aquam, hanc aquam serva seorsum, & filtra eam per chartam: posthæc sume antimonium Hungaricum, tere subtiliter, impone cucurbitæ plani fundi, affunde hanc aquam, pone in calore, cum justo tempore suo in

vasa tua dirumpantur. Retortæ tuæ terreæ A aperies superius foramine B cui immittes materiam per partes, ne tota simul nimium virium suarum exerat, claudesque foramen statim operculo; spiritibus receptis in vase C datur exitus per foramen D in appositum aliud recipiens E. Cui rursus alterum recipiens appositum est F. Ita spiritus subtiliores ascendentes per foramen D recident in recipiens F. Crassiores autem manent in fundo G recipientis C. Hoc autem instrumentum usui tuo hîc erit aptissimum: tum ne, quod dicebam, spiritus transiens fortissimus rumpat vitra, tum ad alia, quæ facili speculatione tu hinc colliges.


B
A
C
D
G
E
F

in eo steterit, fit instar amethysti, ex violaceo nigrescens; tum ignem intende fortiter, & acquires colorem perspicuum instar cærulei sapphyri, ex hoc colore præcipitatur pulvis albus affusione aquæ communis : hic pulvis assumptus eandem habet operationem, quàm rubra extractio vitri antimonii per sedes, & simul excitat vomitum. In priore solutione ex capite mortuo facta, & in cella asservata, laminæ tenues ferri coquantur; & transmutabunt verè martem in venerem, prout experientia docebit. Jam animadverte ulterius. *Sume distillatum illud oleum, seu aquam, uti in hoc processu commemoratum est, super affunde illi crocum martis, cum sulphure usque ad colorem rubrum reverberato, expone calori, extrahet tincturam martis instar sanguinis rubicundam : sume hu-*

jus

jus extractionis partem unam, ex rubra antimonii extractione, quæ cum sale nitri exusta, & spiritu vini præparata est, partes tres: ex aqua mercurii paulatim per

* Ut studium Lectorum acuant Chymici, & magis, ne quis præter veros artis studiosos in adyta eorum penetret, non omnia uno loco tradunt, sed documenta sua spargunt, ut eorum collectione diligenti, non secus ac aquila solis intuitu legitimos suos probent filios: ita vides Basilium hic aquæ mercurii usum proponere, quam in tractatu, qui vocatur supplementum conficere docuit, aut potius rudi carbone processum ejus delineavit: nec enim ibi, uti hîc demum mentionem facit foraminis, quod superius in retorta patere debet, ut ei tubus immittatur, per quem mercurius per partes exiguas injiciatur. Si enim, vel tantillum mercurii retortæ incluseris, eamque igne vehementi pepuleris, uti fieri oportet, ut spiritum ei extrahas, retortam, furnumque ipsum vi suâ vehementi, & indomabili evertet, nisi des ei spatium largius, & libertatem majorem volandi; ut tandem postquam multas visitavit retortas, conquiescat, & quasi defatigatus resideat. Cùm autem

tubum longiorem injecti partem unam: insuper calcis aureæ in hac aqua caustica dissolutæ partem mediam; omnia hæc simul confunde, deinde hæc in arena destillanda sunt igne mediocriter vehementi, cùm antea clarè fuerint decantata, sed non omnia distillatione transfunduntur, manet pulchra solutio * fixa in fundo,

omnibus veris Chymicis notissimum sit, quantarum hic mercurius in resolutione metallorum sit virium, nullam ejus hîc mentionem faciam.

* Hæc solutio nondum fixa est, sed nisi te labor jam fatigaverit, ulteriore operatione poteris eam figere. Cujus præcipuus usus est in emendatione metallorum, quod Basilius ne attingit quidem. Ignoscat nunc mihi genius omnium Chymicorum, dum omnibus candidè pandam hoc secretum. Tu Philochymice me celerrimè oraculum pandentem, mente & cogitatione consequere: nam operatio non tam absolvetur celeriter. *Hic pulvis extrahendus est cum fortissimo aceto, id ab-*

fundo, quâ uti possumus in veteribus vulneribus apertis, in quibus fundamentum ponit sanationis ad stuporem. Caput mortuum quod relinquitur, in loco humido resolutum, dat liquorem tam acrem, ut nulla aqua fortis cum eo sit acredine comparanda. Sed de his jam satis: loquendum enim jam mihi de pulvere albo, qui etiam ex antimonio præparatur hoc modo.

abstrahe, & quod in fundo remanserit, edulcora aquâ distillatâ, extrahe rursum vini spiritu, spiritumque abstrahe, remanebit in fundo pulvis rubicundus, hunc conjunge cum sale fixo, quod ex fæcibus, quæ post abstractionem cum aceto remanserant, confectum est, & trium mensium spatio fac, ut vulcanum non amplius fugiant, sed placidissimè cum eo, & in eo ludant; si hoc perfeceris, habes duo conjuncta matrimonio inseparabili: & purum ab impuro separasti, volatile fixum, fixum volatile reddidisti, & parum abes à felicitate illa, quam votis expetiisti omnibus.

Antimonii pulvis albus.

Cape antimonium purum, quod ex Hungaria adfertur, aut in similibus plagis montanis invenitur, tere id subtiliter, cape item mensuram eandem salis nitri purissimi, quod tertiò omni diligentiâ mundatum est, hæc compositio simul uritur in olla nova vitreata, quæ nulla unquam pinguedine fuit infecta, igne circulatorio, non quidem tota simul, sed diversis vicibus partes adjungendo. Hanc rationem agendi veteres Spagyrici *detonare* nominant, terminus artis discipulo artis addiscendus, utpote non cuilibet rusticorum in sua experientia vel arte communis. *Hac operatione peractâ, tere materiam duram, quæ in olla remansit subtiliter, ei in olla vitreata affunde aquam vulgarem mediocriter calefactam, & ubi materia resedit, innova hanc affusionem aliquoties, donec sal nitrum omne extraha,*

*trahatur * : denique ſicca materiam, & tantùm ſalis nitri novi*

* Non te ſeducit aut circumducit, Philochymice, Baſilius, quando myſteria abditiſſima tam candidè promit, & mirabiles effectus tam ſyncerè, & fideliter promittit. Vel ex hac operatione exemplum cape. Poſt primam enim detonationem cum nitro, ſimulatque ſalem nitri à pulvere purâ aquâ ſeparaveris, habes pulverem illum Rulandi, quo vir ille tot miracula medica patravit, quo tantum nominis, tantumque pecuniæ ſibi comparavit. Quem ſi tu certâ cæli conſtitutione (quod in hepate antimonii monere me memini) præparaveris, habebis illum tantò meliorem, quantò rubicundiorem: color enim ejus anima ipſius, cujus in Medicina effectus probavit, laudavitque Rulandus; ſed nec ille laudes ejus exhauſit, nec inexpertis perſuaſit tantas in hoc medicamento latere virtutes. *Hic crocus metallorum*, ſic enim vocant, non eſt ille, qui in officinis venum exponitur, cujus granis octo affundunt vini uncias binas, & cùm æger hauſit ſolum illud vinum ſine ullo pulvere, ſæpe tantum infernè, & ſupernè ejicit, ut utraque, aut ſaltem alterutrâ parte ſequatur anima. Hujus autem uſus talis eſt.

appone, quantum ejus est pondus; exure rursus, & repete eandem operationem tertiò: tandem tere id

Sume ejus grana 8. 9. 10. vel 11. secundùm ægri vires, & cetera coindicantia, iis superfunde tres aut quatuor vini uncias; parum enim refert plus minusve vini sumpseris, impone balneo spatio quatuor aut quinque horarum, extrahe tincturam croci metallorum instar sanguinus rubicundam (quod in infusione croci officinalis non fit) hoc vinum jam sulphure croci saturatum, unà cum subtiliore pulveris parte, quæ decantando transit: exhibeo ægro, qui blandè, infernè, & supernè purgatur absque molestia: nec tantùm humores educit hoc medicamentum, sed quod antimonialibus ritè præparatis est proprium, radicem morbi aggreditur, & si quid corruptum sit in corpore, si quid labefactatum emendat, & restituit. Quam admirabiles hæc sola tinctura mihi ostenderit effectus, supersedeo enumerare, ne fidem eorum citare cogar, qui eos experti sunt; hoc saltem mihi crede, quisquis chymica medicamenta in usum revocas, ut semper accipias veras rerum tincturas, in quibus volatile earum sulphur est absconditum; si hoc negligis, famam, lucrumque tuum, & ægri tui negligis sanitatem.

*id quod post tertiam operationem manet subtiliter, affunde spiritum vini optimum, circula mense uno diligenter clausum in cucurbita, seu circulatorio: dum eximitur nonies, vel decies, spiritum vini toties affusum desuper exure; hoc peracto sicca pulverem molliter, & integro die excandefac in crucibulo, quali aurifabri ad liquefacienda metalla utuntur: hunc pulverem in loco humido resolve super mensa lapidea vel vitrea, vel in ovis duriter coctis, fit inde liquor, qui expositus calori iterum siccatur, & in * pulverem revertitur.* Hic pulvis efficit egregia quædam & mirabilia, quæ non facilè fidem *Vires pulveris albi.*

* Credidisti, aut expertus es vires semel detonati pulveris, non eris Thomas in hoc ter detonato. Adfer manum tuam, tange, & utere, eadem tibi præstabit, quæ verum antimonium diaphoreticum, sed securitate efficaciaque majore.

invenient apud eos, qui non sunt experti: at non operatur subitò, sed tempus habeat oportet, ut exerat vires suas, & ostendat experientiâ teste virtutem suam admirabilem. Quicunque interiùs laborat apostematibus, sumat de hoc albo fixo pulvere antimonii in spiritu vini, vel alio vino generoso quartam drachmæ partem quinies, vel sexies per diem, & experietur internum apostema aperiri, & omnem coagulatum sanguinem paulatim sine ullo vitæ, aut sanitatis periculo expelli. Qui novo militum morbo interius laborat, utatur eo, quo dictum est modo, hoc pulvere, & experietur hoc malum toto in corpore consumi, atque ex eo expelli; producit præterea novos crines, & innovat hominem in novum statum ad stuporem omnium;

omnium; dat novum, ſanum, & purum ſanguinem, & tantum efficit boni, ut poſſit ne minima ejus pars (quantumvis hoc æquitas poſtulare videatur) à me deſcribi, vel enarrari.

Non æquum eſt, me hæc omnia clarè, & eo modo manifeſtare, ut quilibet ex ſcriptis meis absque labore & tædio poſſit perfectus Doctor evadere: quemadmodum non decet juvenem *ruſticum pane can-

* Tam clarè omnia detexit Valentinus, ut nemo vel ante, vel poſt eum id fecerit clariùs. Conſpiraſſe videntur poſt eum omnes, ut luci, quam ipſe intulit mundo, tenebras offunderent; hinc nec vehementer eum publicè laudant, quamquam privatim quisque eum maximi faciat, nec libros ejus in alias tranſtulerunt linguas, quamquam ipſe omnium unus ſit digniſſimus, qui omnium gentium loquatur ſermonibus, ut Philochymicos, in labyrinthis aliorum errantes, conſoletur, & ſemper novam producat Philoſopho-

candidissimo, optimeque pisto vesci, quem labore suo non paravit, vel cujus ipse frumentum tribulo suo non excussit.

Sed nimis longè procedo in hoc aperto doctrinæ campo, in quo antiqui venatores suas capiunt alaudas, & juvenes eos statim retibus suis insequuntur. Stylus enim meus (uti omnia scripta mea satis superque testantur) sibi propositum habet singularem quendam modum, sicuti & omnium ante me Philosophorum. Si quis autem miretur, processus hîc quosdam proponi, in quibus Phi-

phorum sobolem. Quod autem quis putaret, eum tam clarè posse loqui, ut quilibet illotis, ut ajunt, manibus attingens Chymiam, statim eum intelligeret, hoc est, quod hic ait, fieri non posse, nec oportere ut opilionis vilissimi filius de polline edat, quod nullo illi in triturando constitit sudore: ceterùm, ut ipse infra confitetur, verbis utitur claris, & simplicibus.

Philoſophia mea ab aliis differt: id reſponſi habeat, ſermonem Philoſophicum multùm differre ab aliorum modo diſcurrendi, qui nudè ac purè declarant proceſſum aliquem ſine ullis ambagibus vel ænigmatibus. Adverte ergo differentiam, nec me accuſa, quaſi ab ordine deflexerim, quantùm ad ſtylum Philoſophiæ, & præparationum, & proceſſuum. In diſcurſu enim Philoſophico addiſcere, & judicare oportet, quod ad theoriam pertinet, ſed inſtructionem proceſſuum te docet praxis, ideo in iis utendum eſt verbis veris, ſimplicibus, claris, & benè fundatis.

Fit etiam balſamum ex antimonio ad graves morbos admodum utilis, non tamen ex crudo, ſed ex regulo ejus, unde mercurius antimonii vivus confici poteſt, eo, qui ſequitur, modo.

Sume

Regulus antimonii. *Sume ex optimo antimonio Hungarico, & * tartaro crudo partes æquales, & mediam partem salis nitri, terantur simul subtiliter, & postquam in furno ventoso inter se fluxerint, effundantur in pelvim æneam, ibique refrigescant, tunc invenitur regulus;*

* Quod in præparatione hepatis antimonii adverti, hîc repetendum est, ut pro tartaro crudo sumas salem tartari, quo procedat operatio citiùs, & tutiùs. Sal nitri hîc est inutile. *Sume ergo antimonii, & salis tartari ana partes æquales, ex eo funde regulum, secundùm regulam hîc à Basilio traditam.* Vitrum si (quod omnes ferè faciunt) abjicias, facies inutiliter. Paro enim ex illo medicinam inprimis utilem, hoc modo. *Contundo hoc vitrum in mortario calefacto, cavendo ne quid humiditatis ab aëre contrahat, quod satis facilè provideri potest, hoc pono in phiala, ex quo alcohol vini tincturam extrahit pulcherrimam rubri coloris, instar sanguinis.* Cardiacum præstantissimum est hæc tinctura, si sumatur ad guttas 30. 40. vel 50. in liquore convenienti; idque, si velis, bis aut ter per diem: tutò enim sumitur, & totum recreat hominem.

lus; hic ter, & cò ſæpius tartaro & ſale nitri purgatur per ignem, & fit albus relucens, ut argentum capellatum, quod jam fulminavit, & plumbum ſuum omne ſuperavit. Hic regulus teritur minutim, & vitro imponitur, ſuperfunditurque oleum juniperi, vel ſpiritus terebinthi, qui prior in diſtillatione prodiit, & purus eſt inſtar aquæ fontanæ, benè clauſum impone balneo mariæ in calore ſubtili, fietque oleum juniperi vel ſpiritus terebinthi ruber inſtar ſanguinis, eum effunde, & rectifica ſpiritu vini. Iisdem pollēt viribus, quibus balſamus ſulphuris, uti tum indicabo, cùm de ſulphure ſcribam, quoniam unam eandemque poſtulant præparationem. *Balſamus antimonii.*

Hujus balſami guttæ tres, aut quatuor, cum vino calido tantummodo ter in hebdomade aſſumptæ, ſanant morbos pul- *Vires balſami.*

pulmonum, depellunt tussim frequentem, & asthma: etiam conducunt vertigini, laterum punctionibus, & diuturnâ tussi laborantibus.

Varia antimonii olea. Multa etiam præparantur olea ex antimonio, quædam per se, & sine additione, & alia multa per additiones; at non iisdem prædita sunt virtutibus, sed unumquodque suis, secundùm diversam præparationem. Cujus hanc tibi nunc declaro similitudinem. Multa esse genera animalium, quæ solùm in terra versantur, ut sunt, multa reptilia vermium & serpentum, alia item, quorum quædam etiam nova genera, quæ antea nota non fuerunt, ex putrefactione prodeunt. Alia in aquis habitant, ut omnia genera piscium: alia volitant per aëra, ut genus omne volatilium & avium: quædam nutriuntur

igne

igne ut Salamander : & præterea inveniuntur multa mirabilia animalia in regionibus & Insulis calidioribus, quæ hisce nationibus ignota sunt, quæ vitam suam prorogant ex solo calore Solis, quæ moriuntur, simulatque alium attingunt aërem. Ita antimonium aliam assumit naturam, aliamque ad operandum complexionem, dum additione aquæ, aliam dum per solum ignem præparatur. Et quamvis omnis ejus præparatio per ignem fieri debeat, sine quo virtus ejus manifestari non potest; adverte tamen additionem terræ prorsus aliam operationem dare, quàm additionem aquæ : ita etiam quando antimonium in igne per aërem sublimari, & ulteriùs præparari potest, alia virtus, aliæ vires, alia operatio sequuntur, quàm in præparatio-

Primum oleum antimonii.

tionibus jam descriptis. Oleum ergo antimonii per se sine additione, & simul verum sulphur ejus faciendi, hæc est methodus.

Sume antimonium Hungaricum crudum, id tritum subtiliter, impone cucurbitæ vitreæ, quæ planum habeat fundum, & affunde acetum verum Philosophorum, sale suo acidius redditum. Cucurbitam deinde clausam impone fimo equino, vel balneo mariæ, ut putrefiat quadraginta diebus, tum se resolvet corpus, & acetum contrahet colorem rubrum instar sanguinis, effunde acetum, & affunde novum, idque toties, donec acetum non tingatur amplius, tum acetum omne filtra per chartam: rursus impone vitro mundo, ut antea fecisti, & clausum impone fimo equino, vel balneo mariæ, ut putrefiat quadraginta diebus, tum corpus se

denuo

denuo resolvit, & materia fit in vitro tam nigra, quàm chalcanthum vel sutorum atramentum: ubi hoc signum habueris, tunc vera solutio facta est, per quam sequetur ulterior separatio elementorum.

Impone nigram hanc materiam alteri cucurbitæ, & alembico imposito, distilla acetum igne modico, tum acetum transit clarum, & remanet in fundo materia sordida, eam tere subtiliter, & edulcora aquâ pluviâ distillatâ, tum eam molliter exsicca, & impone circulatorio longi colli (circulatorium sit præditum tribus cavitatibus, tamquam si tres globi sibi invicem essent impositi, sed à se invicem tamen distincti, sicut sublimatoria cum *Aludel* solent fieri, & tandem habeat instar phialæ collum longè protensum) *affunde spiritum vini summè rectifica-*

catum, qui tribus digitis superstet materiæ, & vitrum benè clausum, impone molli calori duobus mensibus, tum sequetur alia extractio nova, & spiritus vini fiet pellucidus, & ruber instar pyropi, ut erat prima extractio aceti, imo pulchrior. Effunde spiritum vini ita tinctum, filtra eum per chartam, & impone cucurbitæ, materiam nigram, quæ remansit, sepone, & separa ab hoc opere, nec enim ei est utilis.

Impone alembicum cucurbitæ, & incipias distillare in recipiente, omnibus benè clausis per cineres igne mediocri, tum spiritus vini tincturam antimonii secum defert, & elementa se separant ab invicem, & alembicus, recipiensque tibi præbebunt aspectum auri prorsus pellucidi: in fine remanent aliquæ fæces, sed paucæ, & aureus color in vitro omnino perit: materiam rubram, quæ distil-

*ſtillando tranſivit in recipientem, impone circulatorio decem diebus, & totidem noctibus, tunc fit ſeparatio per illam circulationem, nam oleum per hanc acquiſivit gravitatem, ſeparatque ſe à ſpiritu vini, & decidit in fundum, ſpiritusque vini iterum clarus eſt, ut erat in principio, & ſupernatat oleo, quæ ſeparatio admirabilis, miraculi inſtar eſt in natura; ſecerne * oleum deinde à ſpiritu*

* Hîc habes non tantum quicquid ex antimonio confici, ſed penè omne, quod à Chymico promitti poteſt. Hoc illud eſt, quo replentur omnes omnium Chymicorum libri, quod tot involvitur fabulis, tot implicatur ænigmatibus, tot obſcuris explicatur commentariis; hoc eſt, quod toto orbe optatur à ſtultis, quæritur ab artis filiis, invenitur à ſapientibus. Hoc Baſilius revelat, hoc repetit, hoc inculcat: hoc eſt Currus ejus Triumphalis, quem quaſi circumducit, & ſæpius oſtentat in variis ſcriptorum ſuorum compitis. Antea in hoc ipſo tractatu ſub no-

vini per separatorium. Oleum hoc est singularis & incredibilis dulcedinis, quæ nulli alteri rei comparari potest, est gratum in usu, & omnis corrosivitas ab eo separata est.

Vires olei primi.

Nemo cogitatione potest assequi,

mine *extractionis antimonii crudi*, hîc *oleum* est *antimonii*, mox convertetur in *lapidem*, qui *ignis* dicitur. Ita sæpius se offert hic Proteus semper varius, attamen idem semper in substantia. Confer omnes processus, qui toties diversimodè proponuntur cum commentariis his meis super extractione antimonii crudi factis, & habebis opus numeris suis omnibus absolutum; habebis volatile fixum, & fixum volatile, habebis thesaurum, in quo, si nescis quid habeas, remittam te ad Æsopi gallinaceum gallum, qui gemmam in sterquilinio invenerat, sed nesciebat, quid habebat. Adverte diligenter, mi Philochymice, & scias neminem tecum clariùs & synceriùs egisse, quàm Basilium, & me post illum, qui tibi indico, ubi lateat lepus, quem tot alii tam vagè venantur. Si hîc jam non sapis, nec tribus anticyris sanaberis: itaque nihil addam, ne stultos, qui ne nunc quidem sapiunt, redigam ad insaniam.

sequi, aut intelligentiâ comprehendere, quàm incredibiles effectus, potentes vires & utilis virtus in hoc Regio oleo existat: ideo sulphur hoc antimonii non aliter appellavi, quam *balsamum meum vitæ*, quia plurima efficit per gratiam Dei in iis, in quibus nullum nisi à Dei misericordia erat sperandum auxilium, & nihil restabat nisi certissima vitæ cum morte commutatio, prout fratres mei sæpius factum esse testantur. Reficit hominem tanquam si denuo esset renatus: purificat sanguinem; mixtum & exhibitum cum tinctura corallorum mundat lepram, & pellit omnem scabiem, quæ per sanguinem impurum radices egit in homine: abigit melancholiam & tristitiam cordis, confirmat artus, & ante omnia cor, quando cum ma- *Balsamus vitæ.*

magiſterio perlarum exhibetur. Etiam memoriam emendat; in deliquio non eſt inventa medicina nobilior, ſi cum olei cinnamomi æquis partibus mixti guttæ ſex per os linguæ imponantur, & tantillum de eſſentia croci naribus & arteriæ affricetur.

Ah Deus omnipotens, quid me juvat multa dicere, ſcribere, & excogitare! paucos enim, ut opinor, inter Doctores inveniam, qui fidem abſolutam præbebunt hiſce ſcriptis meis, quæ diſcipulis, apoſtolis, & aſſeclis meis fideliter lo co teſtamenti mei declaravi: Alii verò, qui mirabiles effectus antea cognoverunt, & vires in veritate ſæpius experti ſunt, accuratiùs attendent, & faciliùs fidem adhibebunt, & mihi pro hac benignitate (quod ſcilicet vires & virtutes, quæ creaturis

turis infusæ sunt; ego Dei permissu aperuerim, & quasi ex carcere extractas in lucem & liberam operationem protulerim) dum in sepulchro redigar in pulverem, gratias agent, & honorificè de me loquentur. Alius modus, ut antimonium sine additione trans alembicum agatur, hic est.

Fit regulus ex antimonio per tartarum & salem nitri, ut supra descripsi: hic teritur subtiliter, & magno rotundo vitro imponitur, & in mediocriter molli igne arenæ imponitur: hac ratione antimonium sublimabitur, quicquid sublimatum fuerit, id quotidie plumâ deterge, ut iterum in fundum recidat, in eoque persevera, donec nihil amplius sublimetur, sed omnia in fundo remaneant, tum antimonii regulus per se fixus & præcipitatus est: sed adverte opus esse sat longo tempore, & re- *Secundum oleum antimonii.* *Regulus antimonii fixus.*

 peti-

petito sæpiùs hoc labore, antequam id consequaris. *Præcipitatum hoc rubrum exime, subtiliter tere, & repone in cavea humidiori lapidi plano & mundo, maneatque ibi sex mensibus, tandem præcipitatum incipit se resolvere in liquorem rubrum purumque, & fæces, sive terra ab eo separatur: sal, inquam, antimonii solus se resolvit, hunc liquorem filtra, & impone cucurbitæ, extrahe phlegma ut densetur, & iterum caveæ impone, tunc pulchras crystallos dabit; has separa à phlegmate, sunt pellucidæ, mixtæ colore rubro: sed dum iterum purificatæ fuerint, evadunt albæ*: tunc factus est verus * sal antimonii, prout eum

* Γσ⊕ ἴσῳ Græcis in proverbio est, & hîc patet in opere chymico. Hoc enim sal acuit omnia menstrua ad faciliorem metallorum extractionem; sed magis omnibus eas extra-

eum sæpius confeci. *Hunc salem exsicca, & ei permisce terræ Venetæ, quam* tripel *vocant, tres partes, & forti igni distilla; transibit primò spiritus albus, postea spiritus ruber, qui se etiam resolvit in album, hunc spiritum rectifica molliter, ac subtiliter in balneo sicco, vel maris*, atque ita habebis aliud oleum album ex sale antimonii distillatum; at longè cedit sali superiori ex rubra tinctura confecto.

Sal verum antimonii.

Spiritus salis antimonii.

Hoc oleum; quid oleum? hic spiritus dicam potius, quandoquidem sal modo spirituali sit distillatum, in febribus quartanis, aliisque sæpius vim suam ostendit, valdè juvit in confractione lapidis vesicæ, promovet urinam, prodest in podagra: affrictus extrinsecus vulneribus corrosivis veteribus,

Vires.

extractiones, quæ ex antimonio fiunt, utpote minerali ipsi cognato & simili.

quæ operationem suam habent ex Marte, ea purificat : etiam purificat hic spiritus salis antimonii totum sanguinem, quemadmodum sal auri ; & quamvis plurimis aliis morbis sanandis utiliter applicari possit ; attamennon adeo perfectus est, atque superius oleum rubrum antimonii, in quo sulphur ejus ad summum perductum, purificatum, & separatum est, ut dixi, ideo de hoc supersedebo plura loqui.

Cùm jam de sulphure & sale antimonii egerim, ostenderimque, quomodo in oleum & spiritum redigi possint, ut medicinæ inserviant : jam ulterius procedens agam de mercurio, & manifestabo, quæ medicina in eo abscondita, & quasi sepulta delitescat.

Mercurius antimonii. *Sume reguli antimonii, eo, quo supra docui, modo confecti, partes*

tes octo, salis ex urina humana clarificati & sublimati partem unam, salis armoniaci partem unam, unamque salis tartari. Misce salia omnia simul in vitro, affusoque aceto vini fortis, claude luto sapientiæ, & digere salia cum aceto mense integro in calore convenientc, tandem impone omnia cucurbitæ, & in cineribus distilla acetum, ut salia remaneant sicca; hisce admisce terræ Venetæ partes tres, & per retortam igne forti distilla, & habebis spiritum mirabilem: hunc spiritum affunde regulo antimonii trito, & putrificetur eo duobus mensibus, tum suater ab eo distilla acetum, & cum eo, quod remanet, misce quadruplum pondus chalybis limati, & violento igne per retortam distilla, tum spiritus salis, qui tandem transit, secum transvehit mercurium specie fumi; præponas autem recipientem vitreum

*magnum plenum aquâ; tum spiritus salium commiscetur aquæ; sed * mercurius colligitur in fundo vitri in verum mercurium vivum.*

Ecce tibi quomodo Philomathes ex antimonio conficere possit mercurium currentem, quem tamdiu, & tot in partibus orbis expetiverunt quamplurimi. Jam utilitatem ejus, & quomodo hoc mercurio cum laude uti possimus in medicina, hîc tibi annotabo, & scriptis tradam.

Oleum mercurii antimonii. *Sume in nomine Domini hujus mercurii partem unam, exprime*

* Quæ tempore Basilii summa erant arcana, temporibus nostris jam sunt vulgaria Chymicorum opera: quotus enim quisque, qui nomen suum inter veros chymicos profitetur, ignorat modum conficiendi mercurium ex antimonio; vel hoc, quo Basilius docet, vel alio modo: nam varios jam excogitaverunt artifices varii, & quisque utitur eo, qui sibi probatur maximè.

me per corium, affunde olei rubri vitrioli ſummè rectificati partes quatuor, extrahe oleum, remanebuntque ſpiritus olei apud mercurium, pelle igne vehementi, aliquid ſublimabitur, hoc ſublimatum iterum appone terræ in fundo: affunde iterum aliud oleum ejusdem ponderis, ut antea, repete hoc tertiò: quarta verò vice pone ſublimatum, quod aſcenderit cum terra, & tere ſimul, tunc erit clarum & purum inſtar ſpeculi, vel cryſtalli; impone circulatorio, & affunde tantum olei vitrioli, & triplum ſpiritus vini, circula donec fiat ſeparatio, & tandem aliquando mercurius ſe reſolvet in oleum, & ſupernatabit inſtar olei olivarum: quod ubi factum erit, ſepara id ipſum oleum ab aliis, & impone in vitro circulatorio, affunde acetum forte diſtillatum, & ita permitte quieſcere præter propter diebus

*viginti, tunc * oleum iterum acquirit gravitatem suam, & decidit in fundum, & quicquid adhuc venenatum in eo est, remanet in aceto, quod tenebrosum, & omnino confusum est.*

Hoc

* Nihil opus facibius est in meridie, nihil commentariis in tam perspicua descriptione, quâ Basilius docet conficere oleum mercurii ex antimonio: pedetentim incede, adverte ad singula, & nunquam frustrabitur te tua opera. Ne tenebras offundam, abstineo commentario; sed addo, me non dubitare, quin mirabiles in corpore humano hic mercurius præstet effectus; sed ego expertus non sum vires ejus ad sanitatem animalium, & commentarii mei non excedunt meam experientiam.

In metallorum autem emendatione vires ostendit singulares. Dico enim, & liquidò affirmo, qui potest oleum hîc à Basilio descriptum ad lapidem fixum perducere, jam gloriari posse se habere tincturam fixam, unico Regum Regi, magno Philosophorum lapidi cedentem. Quando huc usque profectus es, Philochymice, noli retrocedere, nec manum tollere ab aratro: perge læto gradu, si fortè nemore in tanto se ostendat ille

Aureus, & foliis, & lento vimine ramus.

Hoc eſt arcanum magnum, quod repugnare videtur naturæ, ut oleum hoc prius ſupernatet, & poſtea gravius redditum, petat fundum. Verum tamen adverte, oleum vitrioli etiam grave eſſe, ſed cum mercurius in ſeparatione ſua nondum ſit omnino purus, ſuperſtat illi, ſed cùm impura levitas illi per acetum eripitur, quia acetum illam aſſumit, tunc oleum recipit juſtùm ſuum pondus, fit compactum, & decidit in fundum. Atque hoc eſt oleum ex mercurio antimonii, quod eſt quartum medicinæ columen. *Miraculum naturæ.*

Heus nunc leproſi! ubi eſtis? *Vires.* ſuppeditabo vobis media ad ſalutem: hoc oleum eſt utile adverſus apoplexiam, confortat cerebrum, facit hominem induſtrium, excitat ſpiritus vitales capitis: ſi quis gravibus

morbis longo tempore laboraverit, & aliquamdiu utatur quotidie hoc oleo, huic decidunt ungues & crines; & redit quasi in hominem recenter creatum; omnis sanguis humani corporis eo ita purificatur, ut omne malum ab eo abstergatur, & expellatur. Sanare morbum Gallicum, quem nuper hæreditavimus, huic ludus est, per hanc enim medicinam radicitus evellitur: & ut paucis multa comprehendam, major est hujus olei in medicina laus, quàm, ut vel ore, vel calamo virtus visque ejus omnis exprimatur.

Quid hæremus nunc miseri mortales de terra sumpti, & in terram reversuri? cur non properamus Deo Creatori nostro gratias agere, pro hac medicina, nobis tam clementer indulta? Et vos utriusque medici-

næ,

næ, ſi Diis placet, Doctores, venite ad me hominem religioſum, & ſervum Dei, manifeſtabo vobis, quod oculi veſtri nunquam viderunt, oſtendam vobis viam ſalutis & ſanitatis, quam hactenus non cognoviſtis. Si quis tamen reperiatur inter vos, qui proceſſus meos, & modum præparationis melius me intelligit, is, quæſo, non taceat, nec clauſtrum imponat ori ſuo, ipſe enim hîc adſto paratus diſcere, nec me pudet ulteriùs inquirere, & lumen concupiſcere, quod antea fortè non cognoverim. Sæpius enim jam vox hæc mea audita eſt; anguſtioribus terminis hanc vitam noſtram circumſcriptam eſſe, quàm ut homo unus omnia indaget, quæ natura abſcondita gerit in ſinu ſuo. Contra verò, me authore, ſileant illi, qui minus, quàm ego experti ſunt,
nec

nec solidam scriptorum meorum assecuti sunt intelligentiam, neque ea emendare aggrediantur, aut verbis, rabularum instar, inconsideratis reprehendere, quæ nunquam ipsi in scholis didicerunt, & quorum processus nunquam à legis peritis acceperunt.

Termini enim mei aliter sonant, & aliud significant, quàm eorum, qui se mihi opponunt, & quos pudet laboris arbores plantandi, iisque surculos fructiferos inserendi, ideoque aridis ac sylvestribus semper inhærent arboribus, nec unquam ramum ullum viridium & sapidorum fructuum benè culti pomarii attingere possunt.

Ne, inquam, festina ad judicandum, homo inexperte in arte nostra, & noli condemnare, quod nondum cogitationibus vel ipse assecutus es, aut disci-

diſciplinâ accepiſti. Multis, ſed imprudentibus hoc verbum in ore verſatur, piſces in aquis congelantur; ſed hi meram oſtendunt imprudentiam & inſcitiam ſuam: nunquam enim probabitur piſcem, vel in aſperrima hyeme in aqua congelari, quamdiu glacies quotidie diligentiâ mortalium aperitur.

Quod autem piſces moriantur, ideo fit, quod cùm glacies non aperiatur, illis reſpiratio aëris eripitur, atque hinc ſuffocantur; facilè enim probari poteſt, nullum animal poſſe vivere, cui aëris inſpiratio negatur. Unde concluditur piſces eos, qui tempore aſperioris frigoris ſub aqua mortui reperiuntur, non frigore ipſo, ut parum intelligentes exiſtimant, ſed negatione aëris exſtinctos eſſe. Eadem ratione, ut

Nullum animal ſine aëre poteſt vivere.

ut applicemus hoc exemplum; dico; siquidem antimonium fructus istos incredibiles sit pariturum, illud è montibus erui, atque ei in principio respiratoria fossorum labore fieri debere, & postea aquâ, aëre, & igne, ut mediis auxiliaribus, præparari, ne fœcunditas ejus suffocetur in terra, sed multis laboriosisque artificis præparationibus manifestetur, atque in lucem prodeat ad speratam morborum sanationem, propter quam omnem ejus suscepit indagationem.

Ubi nunc, ô miser! qui antimonium nihili facis, & apud omnes, instar meri veneni criminaris, ubi est Rhetorica vel Dialectica tua, quâ te defendas? sed cum nec album, nec nigrum, nec viride, nec rubrum, nec flavum intelligas; nec scias quanam viâ aggredi possis justifi-

ſtificare antimonium, multoque minus ejus virtus, vis, & utilitas tibi nota ſit, benè facis, quod taceas, & permittas hanc tuæ imperitiæ reprehenſionem, veluti fluctum vento vehementi agitatum, trans caput tuum volitare, timens, ne, ſi iſti venti & fluctus prædominentur, navis tua fragilis, & ſutilis fundum petat, & ſubmergatur.

Ut hoc periculum evites, invoca tempeſtivè dormientem Magiſtrum tuum, uti diſcipuli Servatoris noſtri Jeſu Chriſti fecerunt, dum timebant perire, non tamen ex ſimulato & ficto, ſed ex vero & puro corde, absque omni hypocriſi, tum redemptio & auxilium ſine dubio ſequetur, ut in omni veritate videas, & advertas ventos, & mare tibi obedire, & omnia ad finem optatum perduças.

Utinam ita animatus esset homo, ut labore & diligentiâ quidpiam assequi studeret, tum certè Dii prosperitatis, & artis præsides Dii successum darent, per quem ejusmodi discipulus, & artis assecla certus fieret, sibi in optato artis gymnasio, & desiderato domicilio gratiæ felicitatem, & salutem non denegandam, ut ipsemet certò videret, & inveniret fundamentum solidi lapidis angularis, super quo reliqui lapidum ordines commodè possint ædificari: tum tot cessarent malè fundatæ rabularum ineptiæ, quibus in scholis discipulorum aures, & in domibus ægrorum capita obtunduntur: resque ipsa, ore quasi aperto, loquetur, & certâ experientiâ confirmabit arcem lapideam, seu palatium, non tam facilè igne accendi & comburi posse, quàm cor-

cortem columbariam, aut veterem ciconiæ nidum ex ligno putrido compoſitum, atque à Sole magis magisque indies exſiccatum.

Tu autem orationis meæ auditor, & diſcipule hanc ſynceram informationem meam acri judicio perpendas, & ardenti deſiderio contendas infimum artis centrum pervadere, quod in externa facie cognoſci à nemine poteſt, vim virtutemque ejus, non ſecus quàm venator feram, perſequere, quære veſtigia ejus per nivem, ut probè diſtinguas, nec cervum pro hinnulo, leporem pro vulpe capias, aut per errorem ex veſtigiis ejus à te malè judicetur, projice benè retia tua, & capies multitudinem piſcium ſecundùm votum & deſiderium tuum; colloca fila tua, prout oportet, & diſpone aves, quæ cete-

ceteras alliciant loco suo, & auceps adimplebit desiderium suum cum utilitate. Et ut hisce breviter admonitionem, unà cum animadversione unicuíque quærenti proponam, dico: dispone, amice venator, retia & instrumenta tua rectè ad ventum, ut oportet; & tu nauta, qui noctes atque dies per vastum navigas æquor, & sæpius à ventis huc illuc pelleris, adverte ad acum tuam, & sine dubio aliquid capies, nec navem tuam peregrè redeuntem sine magno mercaturæ tuæ lucro in portum deduces.

Sed quid ego multis ago, aut quid tempus, quod sophisticis rabulis in more positum est, inutiliter tero paleam inanem triturando? fallor; non inutiliter tempus impendo; omnia enim verba in scriptis meis ita sunt allata, ut litteræ paucæ

inanes

inanes in iis inveniantur, quæ non aliquam utilitatem, unà cum utili inſtructione contineant, ita ut tempus ſcriptionis meæ mihi potius recreationi fuerit, quàm tædio.

Ideo nunc gladiatorum more uno paſſu retrocedam, & novam rerum externarum ſcholam in laboratorium inferam; nimirum quod antimonium ejus naturæ ſit, ut præparari poſſit, ut præſens auxilium adferat in medicina, quæ tractat de vulneribus externis, quæ multipliciter ſe nobis offerunt, & ex Chirurgia declarantur. Incipiam igitur, & brevibus explicabo proceſſus meos, quomodo nempe illud in medicinam ſit adhibendum, & quomodo utiliter præparandum.

Quicunque juniorum ſtudioſorum deſideras occulta naturæ perſcrutari, & abſcondita

ejus

ejus in lucem proferre, audi, quid dicam tibi, ut possis diem à nocte, clarum ab obscuro distinguere. *Cape antimonii Hungarici unam, salis communis partem mediam, & sex partes argillæ non combustæ, tere simul, & distilla vehementer sine intermissione igne diuturno, tandem oleum transibit, huic abstrahe suum phlegma per distillationem, ut pulvis ruber siccus remaneat in fundo cucurbitæ, tere illum subtiliter, & resolve in lapide marmoreo, & habebis rubrum balsamum relucens pro vulneribus*, quod alia, quamplurima balsama longè antecellit. *Usus ejus præcipuus est in vulneribus,

Balsamum rubrum vulnerarium antimonii.

Vires hujus balsami vulnerarii.

* Prudens Imperator eò milites suos inter prælicandum componit ordine, ut in principio aciei boni & fortes, in fine optimi atque fortissimi ineant pugnam, qui minus valent armis, aut viribus, in medio collocen-

bus, quæ longo tempore fuerunt aperta, in quibus alii Doctores ſuis emplaſtris, unguentis, oleis, & ligamentis nihil potuerunt efficere; ſed ſummo cum dedecore equo demum frænum & ephippium tollunt, eumque reducunt in ſtabulum, unde ad eos prodierat.

Formulæ meæ loquendi ſimplicitatem ſonant, vir enim religioſus, cui modus agendi ſæ-

locentur, exemplum pugnandi à prioribus, ſpem auxilii & victoriæ à poſterioribus accepturi. Imperatorem ſequitur Orator in collocandis argumentis, quibus animos expugnet. Oratorem imitatur Baſilius in ordinandis proceſſibus, quibus diſcipulum ſuum ad ſapientiam, & ſapientiæ fructuum perducat felicitatem. Inſignes ergo proceſſus habuimus, iisque explicandis qualem qualem adhibuimus operam, atque lucem aliquam attulimus.

Jam medii ſequuntur clari illi per ſe, & non tanti, atque ſuperiores momenti, ea propter illis non inhærebimus.

cularium ignotus eſt, nequit omnia tam clarè detegere, & deſcribere, quàm res ipſa videtur requirere: quantum ad terminos, quod iis videlicet non ita formaliter utatur, hoc ſibi poſtulat ignoſci, & ſi quid in eo neglexerit, rogat ab omnibus in bonam partem accipi, paratus ratione ſtatûs ſui omnibus Chriſtianis, uti volens iis offert, die & nocte inſervire, & hanc eorum benevolentiam precibus apud Deum remunerari.

Hoc oleum ſalutare eſt in multis gravibus accidentibus, & præcipuè in vulneribus veteribus, ita ut paucæ medicinæ inveniantur, quæ huic non debeant cedere: illud tantum oleum, quod cum vulgari Apothecariorum ſublimato præparatur illi æquale effectibus, & ſæpe melius eſſe experientia do-

docuit, nominatim in lupo & cancro, & in vulnere *noli me tangere*. Sed in fiſtulis ordinariis, & herpetibus ſuperius oleum mira effecit, quæ niſi experientia iis patrocinaretur, fidem non invenirent, quæ omnia à me non recenſentur, nequis judicet me id ambitione ductum facere, aut famam inde venari, quam ego nunquam à me, neque deſideratam, neque quæſitam fuiſſe, neque etiamnum quæri ſanctiſſimè affirmo.

Nunc accipe olei alterius præparationem.

Sume mercurium mortificatum, qui ad claritatem & ſplendorem ſublimatus eſt, & apud Apothecarios proſtat venalis, & antimonii partes æquales; tere ſimul, & diſtilla ex retorta, quæ ſpiritus retineat, ter, & rectifica id oleum ſpiritu vini, tunc opera- *Oleum antimonii cum ſublimato ad vulnera.*

tio, absoluta est, & oleum fit rubrum instar sanguinis, sed in principio est album, & instar glaciei, vel butyri coagulati. Hoc oleum in multis, ubi natura nullam dabat emendationis spem, mira effecit: & vim, virtutem, potentiam, efficaciamque suam semper maximè ostendit in perfecta emendatione mali in bonum.

Per additionem aliud oleum paratur ad vulnera externa apprimè utile.

Oleum compositum ad vulnera. *Sumitur antimonii pars una, & una sulphuris; media salis armoniaci, vel salis urinæ purificati, & calcis vivæ partes duæ: expelle oleum fortiter, quicquid sublimatur, id tere cum capite mortuo, & affunde rursus oleum, terque ita distilla, tum oleum est præparatum.*

Cum vetera vulnera vix aut ne vix quidem sanari possunt, tunc

tunc hoc oleo utere: est enim forte, potens, & penetrativum, & facit fundum bonum, quemadmodum & oleum vitrioli, unde sequi deinde potest omnimoda sanatio.

Balsamum admirabile ad vetera vulnera ex diversis ingredientibus, inter quæ & antimonium ita paratur.

Aliud balsamum ad aperta vulnera.

Recipe sulphuris uncias quatuor, excoquatur igne modico; impone mercurii libram semis, versa spathâ ligneâ, donec fiat massa una, hanc massam tere subtiliter, (facta enim est, quemadmodum cinnabarum solet præparari) tere cum ea antimonii uncias quatuor, arsenici rubri uncias quatuor, croci martis uncias duas, lateris pulverisati uncias octo. Hæc omnia impone cucurbitæ vitreæ, & sublima quemadmodum similia solent sublimari, consequeris in ista sublimatione py-

ropos, quorum color orientalibus non cedit, sed fixitatem non habent; volatiles enim sunt, & evanescunt in igne. Ut *hosce pyropos artifex separet à cinnabaro, quod inter sublimandum ascendit, eos terit subtiliter, & extrahit aceto forti distillato: quo opere perfecto extrahit acetum in balneo mariæ pedetentim, remanebitque pulvis, tere hunc pulverem minutim, ut ante, & impone alteri vitro, & extrahe tincturam ejus spiritu vini, remanentque sordes, eas separa: hanc extractionem cum spiritu vini digere in balneo benè clauso mense uno, tum extrahe spiritum vini, ut extraxisti acetum, remanentem pulverem impone scutellæ vitreæ planæ, eam impone caveæ in cupa referta aquis, ut vitrum ei possit instar naviculæ innatare: pulvis, qui in vitro est, intra paucos dies se resolvet*

ſolvet in clarum & pellucidum liquorem.

Hic liquor ſalutaris eſt in veteribus apertis vulneribus, & eſt balſamum vulnerarium in ſimilibus accidentibus, ſi iis imponatur, & ſtiptico vulgari circumdetur, neminem auxilio deſtituet in diuturnis apertis vulneribus, adverſus quæ fruſtra tentata ſunt alia remedia. *Vires.*

De ulceribus apertis, quæ internè originem ſumunt, hîc mihi non eſt ſermo, ea enim ſine remediis internis, quæ affluxiones exſiccent, & centrum morbi in ipſa radice ſua depellant, perfectè ſanari non poſſunt, quamvis hac tempeſtate pauci reperiantur, qui ad hoc reflectant, & cogitatione ſuâ radicem ipſam morborum attingant, de qua nunc ago.

Si homines animo volverent

eas vitæ calamitates, in quas nos protoplastarum lapsus præcipitavit, peccatumque illud originis, & tot malorum sequacium catervam, tristitiæ nimirum, angoris, morborum, & miseriarum recogitarent, meliùs profectò tempus suum locarent, plusque laboris impenderent, in quærenda proximi sui salute, tam impensè iis à summo cæli Rectore commendatá, & debiti officii instar mandatâ; sed quamplurimi, proh dolor! laboris tædio tempus inutiliter consumunt, & non quod faciendum erat, sed quod hactenus fecere, & facere porro lubet, faciunt, atque timent vel extremos digitos conspurcare; non minus quàm si torquerentur invidiâ mercatorum, qui fortè tantillum lucri facerent sapone vendendo, quo molliculas manus

suas

ſuas abluerent. Nonne omnes, quotquot hîc miſeri mortales degimus in terra peregrini ſumus, nihil, quod noſtrum dicere poſſimus, poſſidentes? nonne omnia, quibus utimur, Domini noſtri feudalia bona ſunt, nobis, quamdiu vivimus; nec diutius conceſſa? ita ergo nos in iis utendis geramus, ut tempore illo, quo & ratio eorum, & ipſa erunt reddenda, conſcientiâ bonâ freti, ſubſiſtamus, & propter ingratitudinem non conjiciamur in carcerem, & tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium.

Si hæc eſſet meditatio, hæc uniuſcujusque intentio, monſtri ſimile foret, ſi quis de peccato in ſe admittendo, ſi quis de officio ſuo negligendo cogitaret; omnes certatim muneribus à Deo acceptis proximo

inservire contenderent. Sed hæc remota sunt à cogitationibus mundi, mundanorumque hominum; *pecunia, pecunia* scopus est, quo collineant omnes, hanc potentes per fas & nefas quærunt, atque in hoc pauperes iis subserviunt, ut simul de mammona iniquitatis participent.

Sed cavete, moneo, cavete, ne carnis istius ossa gutturi inhærentia, vos suffocent, ne piscium spinæ cor vobis confodiant. At quid juvat admonitio, quam parvi facit, & pro deridiculo habet mundus. Audite quæso historiam, vel percipite parabolam. Cùm ego, voti magni reus, difficilem illam peregrinationem versus Divum Jacobum susciperem, ut visitarem locum istum sanctum tanquam peregrinus, Deum precatus sum, eique

me

me voto obſtrinxi, ſi daret felicem ad monaſterium meum regreſſum. Ille dedit, ego hodieque ei gratias ago: ſed putabam plurimos mecum exultaturos, eidemque Deo acturos gratias, propter inſignes reliquias, quas tum temporis attuli, & obtuli monaſterio noſtro in conſolationem pauperum, multorumque aliorum, quo ſibi pararet in hac peritura lachrymarum valle nomen, quod nulla deleret oblivio: pauci tamen hinc reddebantur, vel meliores, vel erga Deum ob tantum beneficium gratiores, ſed perſeverabant in irriſione, & contemptu, id, quod Deus in die noviſſimo vindicabit.

At jam de his ſatis, procedamus in inſtructione noſtra de antimonio, unde alia rurſus medicina paratur, quam in omni genere febrium, & in

peste ipsa valdè expertus sum salutarem.

Oleum antimonii ad febres & pestem.

*Antimonium teritur subtiliter, vitreæ retortæ imponitur, & igne forti distillatur sine ulla additione, tertiò aut quartò, & semper in magno vase recipitur, tandem fit ex eo pulvis rubicundus; extrahe eum aceto; extractionem eam circula molli igne decem omnino diebus, abstrahe acetum distillando, & id, quod remanet, singulari * encheresi in oleum distillando transfundendum est. Hoc oleum porro circulatur, donec ei ablata sit humiditas, & rursus in pulverem reductum est, qualis erat dum initio acetum ab eo per distillationem separatum, & postremum oleum in vase recenti receptum fuit.*

Usus.

Hujus olei grana quatuor assumpta cum aqua cardui Bene-

ne-

* Cum spiritu vini hæc extractio volatilis reddenda est, eo modo, quo in superioribus operationibus docui.


nedicti, si æger benè tegatur, & sudet, sanant quotidianas, tertianas, & quartanas febres; eadem dosis multùm valet ad pestem depellendam, cum spiritu vini vel aceto distillato, prout, vel cum calore, vel cum frigore paroxysmus primus pestis accesserit. Quod in monasterio nostro trium fratrum, facto jam testamento, in extremis versantium, hoc arcano ex peste recuperata docuit sanitas; quod animos eorum arti huic meæ ita conciliavit, ut majore, quàm antea zelo, & precibus, & labore me iuverint, & tempus, quod illis à divino officio supererat, quotidie mihi subserviendo, impenderint, brevique tantam experientiam sint consecuti, ut suâ, fratrumque suorum industriâ, plus experientiæ ceperint in arcanis naturæ indagandis, quàm antea

longè diuturniore tempore obtinuerant. Pro his ego gratias illis egi, usque in senectàm meam, & senium, & porro re ipsâ illis retulissem gratiam, quippe sic de me, & de aliis fideli suo labore meritis, sed ante me vitæ suæ curriculum absolverunt, & ingressi sunt viam omnis carnis, quare remunerationem eorum summo commendo Medico, qui in cælis habitat, ibique illos exhilarabit sufficiente gaudio, & satisfaciet cælesti premio, quod hîc in terra illis fuit ab ignaris & ingratis hominibus denegatum.

Aliud oleum ad vulnera. Aliud ad vulnera oleum ex antimonio cum additione paratur, eo, quem subjiciam, modo. *Sumuntur antimonii, sulphuris, salis nitri ana partes æquales. Detonentur infra campanam, sicut oleum sulphuris per*

per campanam conficitur, qui præparandi modus jam olim antiquis non fuit incognitus, sed animadverte hanc viam meliorem esse, si pro campana * alembicum sumseris, eique vas recipiens apposueris, ita plus olei consequeris, ejusdem quidem coloris, quo illud ex sulphure vulgari eductum, sed viribus & virtute haud parum illo præstantius. Utimur eo intrinsecus quidem cum spiritu vini ad guttas tres adversus pulmonum phthisin; extrinsecus autem, si illinatur, ac deinde *Vires.*

* Picturâ jam te alloquar, non tantùm verbis, Philochymice, ut compendio sermonis accipias hoc laboris & sumptuum compendium. Instrumentum hoc aspice, & tibi confice, ut Basilium sequi possis in faciendo sulphuris oleo per campanam: hac enim viâ tantum olei tibi dabit uncia, quantum viâ jam vulgò tritâ suppeditat libra: ex unciis nimirum sulphuris sedecim elicies semiunciam olei, quam alii vix sperant ex sedecim libris.



de imponatur emplaſtrum ſtipticum, adverſus omnia vulnera fœtentia, & ad putrefactionem tendentia, adeoque omnia omnino vulnera certiſſimum remedium eſſe reperies.

Rurſus aliud oleum ex antimonio adverſus omnia vulnera exedentia hac ratione conficitur. *Recipe antimonii libram unam, ſalis communis deſiccati libram ſemis, laterum confractorum libras quinque: omnia terantur, & retortæ imponantur: ubi oleum flavum diſtillaveris, omnesque ſpiritus tranſierint, impone materiam alteri vitro, eique phlegma extrahe, remanebitque pulvis, quem in loco humido lapidi inſternes, & conſequeris balſamum humidum, quod in omnibus vulneribus verminantibus, & in cancro, qui in facie hominis, & fœminarum uberibus maximè prodit, ſingulare eſt remedium.*

Aliud oleum antimonii ad vulnera.

Vires.

Plura

Plura de hoc balsamo scribenda forent, nisi vererer fore, ut imperitus quispiam horum, aut rabula sophisticus in me impingeret, diceretque me hæc dilatare nimis, & plura chartæ mandare, quàm experientia me docuerit, ac proinde meras speculationes & imaginationes venditare.

Oleum sulphuris antimonii. Aliud porro oleum conficitur hoc modo. *Antimonii pars una sublimetur cum quarta parte salis armoniaci igne subtili: sal tollit sulphur antimonii in altum rubrum, instar sanguinis: tere hoc sublimatum subtiliter, & si sumpseris prius libram unam antimonii, tere cum eo rursus uncias quinque antimonii, & eo rursum sublima, ut antè factum est, hoc sublimatum solvitur in loco humido. Sed aliàs sume sublimatum illud, & edulcora à sale addito, molliterque sicca, & habebis sul-*

ſulphur, quod ardet inſtar ſulphuris vulgaris, quod proſtat apud Apothecarios venale. Extrahe ex hoc ſulphure tincturam per acetum diſtillatum, & cum acetum in balneo mariæ leniter abſtraxeris, & pulverem remanentem ſubtili encheireſi tranſtillaveris, habebis (ſi quidem in hac operatione non aberraveris) *præſtantiſſimum* * *oleum, dulce, gratum, & ſuave in uſu ſuo*

* Hæc eſt altera repetitio proceſſus, quô conficitur balſamum antimonii, uti vocat in hoc tractatu, vel quinta eſſentia antimonii, de quo ſæpius ſupra. Hæc tamen in proceſſu eſt differentia, quod hîc ſulphur per ſalem armoniacum ab antimonio ſeparatur, & deinde aceto extrahatur; ubi in aliis proceſſibus ſulphur per acetum extrahatur, quando adhuc unitum eſt antimonio. Sed hæc tanti non ſunt, ut ancipitem reddant operationum effectum, varietas ergo hæc libertatem dabit majorem operatori, ut non ſcrupuloſus ſit in iis, in quibus rationem intelligit ejus, quod agit, & modi, quo agit.

suo sine ulla corrosivitate, aut periculo. Sanat phthisin, depellit puncturas lateris, & siquis laboret difficultate anhelitus, is assumat duo grana mane, & totidem vesperi, dum concedit cubitum, in elixire vel spiritu vini, dilatat angustias pectoris, expellit omnes impuritates, & phlegmata ex pectore, & multos mihi sæpenumero protulit minimè speratos effectus.

Vires admirabiles hujus olei.

Cùm verò in aliis præparationibus ex antimonio eas vires descripserim, quæ huic cum illis sunt communes, nihil opus existimo eas omnes repetere, veritus ne artis assectatoribus, vel perissologiâ tædium, vel ineptâ tautologiâ alienas cogitationes adferam. Liquor interim, qui, ut supra dixi, in loco humido resolvitur, externa est medicina, & apprimè utilis,

ut

ut mundet impuritates cutis, & si tantillum olei tartari misceatur, sanat phagedænam digitorum, & si sæpius eo ungatur, purificat cutem, & schrophulis medetur.

Sulphuris antimonii alia præparatio.

Sulphur antimonii præterea alio modo præparatur. *Antimonium subtiliter teritur, & coquitur horis duabus, vel paulò diutius, in acri lixivio de cineribus ligni faginei confecto: ubi coctum antimonium clarè filtraveris, affunde acetum, & sulphur petet fundum prorsus rubrum, effunde phlegma, & pulverem leniter exsicca: distilla hunc pulverem cum aceto vini: extrahe tincturam, & fac, prout cum superiore sulphure fecisti; idem in oleum distillando reducere, non est oleum & operam perdere*; quamvis oleum supra commemoratum, plus virium habeat, eò quod corpus ejus per salem ar-

armoniacum initio ſublimationis meliùs ſolutum & apertum fuerit.

Reſtant porro multa de antimonio ſcribenda, & nominatim tria Spagyro Medico, & Philoſopho ſcitu neceſſaria, nimirum præparatio aceti, quæ ex minera ejus conficitur, deinde prætereunda non eſt Philoſophica ſtella ſignata; & tandem ſermo inſtituendus de plumbo Philoſophorum, de quo multi magna ſunt imaginati, & putaverunt ratiocinatione ſuâ, & ſpeculatione verum & ſyncerum mercurium Philoſophorum ex eo conficere, quod profectò fieri non poteſt, quandoquidem antimonio cęlitus tanta non eſt data efficacia, ut in ipſo is mercurius exiſteret, vel ex eo præparari poſſet. Mercurius primum ens, vel prima aqua metallorum, quæ

An mercurius Philoſophorum reperiatur in antimonio.

quæ perfecta ſit, unde lapis magnus veterum ſapientum confici poſſit, illud, inquam, ens primum, & ſemina ejus in alio minerali inveniuntur, in quo operatio ſecundùm genium metallorum major eſt, quàm in antimonio: attamen particularem quandam, & utiliſſimam ſuppeditat operationem. Inquire porro quid ad internam, quid ad externam medicinam pertineat; eſt enim columen omnis Apothecariorum officinæ, ſi debitè præparetur, ut ſæpè moneo; nec quicquam deerit, modo artifex benè diſcat diſtinguere indolem metallorum, & mineralium, & diligenter obſervet tum præparationem, tum uſum antimonii, tunc enim, & non ante ſequetur perfectum de eo judicium.

In antimonio reperitur aliquod particulare.

Jam igitur ſtabo promiſſis, diſcipulosque meos ſecundùm

votum

votum eorum consolabor satisfaciendo iis, & instructionem dando, perquam vera separatio boni à malo tandem iis innotescet, & dando informationem de aceto Philosophorum, quod ex antimonio conficitur.

Acetum Philosophorum ex antimonio. *Minera unde antimonium funditur, & purificatur, teratur subtilissimè, hanc materiam impone vitro rotundo, quod phiala vocatur, habens collum oblongum, affundatur aqua pluvia distillata, ut cucurbita sit media plena, benè clausa seponatur in fimo equino, ut putrefiat, donec minera incipiat effervescere, & spumam in superficie accipere, tunc tempus est eximendi, signum enim est corpus se aperuisse: hanc materiam digestam impone cucurbitæ, benè claude, & aquam extrahe, habebit ea saporem utcunque acidum, ubi aqua omnis ablata est, intende*

ignem;

ignem, & transibit ſublimatum: hoc iterum tere cum fæcibus, & affunde iterum eandem aquam, & iterum abſtrahe, tunc erit acrior: hæc operatio repetenda eſt, donec aqua fiat tam acida, quàm aliud acre acetum vini diſtillatum; ſublimatum autem, quo ſæpius operatio repetitur, eo magis minuitur. Ubi hoc acidum acetum obtinueris, cape recentem mineram ut ante, & affunde hoc acetum, ut tribus digitis emineat: impone pelicano, & digeratur duodecim diebus in calore, acetum fit rubrum, & multò acidius, quàm ante: hoc decanta purum, & diſtilla per ſe ſine additione in balneo mariæ, transibit acetum clarum, & rubrum remanet in fundo, quod extractum cum ſpiritu vini eſt præſtans medicina. Acetum autem iterum rectifica in balneo mariæ: ut ſuo liberetur phlegmate: tandem ſolve in eo

*proprium sal, scilicet in quatuor unciis unciam unam, & pelle fortiter ex cineribus, * acetum fit acrius, & acquirit plus virium, & virtutis.*

Hoc

* Hoc acetum etiam inter præcipua numeratur eorum, quæ ex antimonio conficiuntur: ideo operæ pretium judicavi, id quibusdam commentariis illustrare. Quamvis enim modo, quem Basilius præscribit, fieri possit, tamen quædam adhuc requiruntur, ut opus reddatur cùm facilius, tùm perfectius, quæ jam subjungo. *Pro sex libris antimonii requiruntur quatuordecim libræ aquæ distillatæ, & quando post digestionem illud distillare cupimus, quædam encheresis observanda, à qua propemodum totius operis dependet successus.* I*ta enim collocandus est alembicus, ut rostrum ejus tegatur aquâ, quæ est in recipiente, vel quæ transiit distillando in recipientem, aliàs spiritus antimonii dispergetur, & plus mediâ parte perit, opusque multò plus requirit temporis, ut perficiatur.* Figurâ appositâ hoc expressi, ut si qui sint, qui audiendo non satis hoc percipiunt, videndo intelligant. *Ubi aqua tota transivit per alembicum, ignis*, ut monet author, *intendendus est, & tribus nocti-*



Vires aceti, Philosophorum. Hoc acetum refrigerat vehementer, non ut vulgare acetum, sed magnâ cum admiratione, & certâ experientiâ, maximè ad sedandum gangrænam ex pulvere pyrio productam; etiam sanat alia irritata vulnera & membra, quando cum anima saturni tritum, in unguentum conformatur, & exterius applicatur. Mixtum cum aqua endiviæ, cui sal prunellæ additum

noctibus totidemque diebus sine intermissione continuandus, tum refrigescat, & sublimatum, ut docet, *cum antimonio denuo misceatur: iterum resumatur labor ad tres dies & noctes, ac deinde repetatur tertiò, tunc aqua tua acida erit, uti acetum vulgare: hoc acetum si tinxeris nova antimonii minera, habebis tincturam, quam balsamum suum vitæ nominat, toties discriptum, sed nunquam satis laudatum.* O si scirent mortales, mysteria quæ in hac tincturâ latent abscondita, nescio an luberet aliam circa antimonium suscipere operationem: omnia in hoc uno sunt. Dixi Philochymice, tu face.

tum eſt, conſumit ſynanchen, & extinguit magnum ardorem ejus, ſedat præterea motum inflammati ſanguinis. Tempore peſtis intrinſecus aſſumptum doſi unius cochlearis, ſingulis vicibus, & extrinſecus lineis pannis bubonibus impoſitum, extrahit venenum, & præſtantiſſimè refrigerat. Sed adverte, cum hoc modo extrinſecus vis adhibere, miſcendam eſſe tertiam partem aquæ, quæ ex ſpermate ranarum diſtillatur.

Multi ſtellam ſignatam antimonii magni fecerunt, & operam dedêre quàmplurimi, ut eam conficerent, nulli parcentes labori, modò eam conſequerentur, quod nonnullis ſucceſſit, aliis verò propoſitum ſuum, resque tota in profundo aquarum ſubmerſa eſt. Imbiberant plerique eam animo ſententiam hanc. ſtellam veram eſſe

An Stella ſignata antimonii ſit materia lapidis Philoſophici.

esse materiam, unde confici posset lapis ille Philosophorum; hac inducti cogitatione, vel imaginatione, quod natura ipsa eam in stellam signaverit, ideo non poterant, ut existimabant, hisce cogitationibus in viam erroris abduci. Ego autem nihil horum esse syncerè denuntio: longè enim aberrant istiusmodi indagatores à recta & regia via; & enecant se conscendendo rupes & scopulos, in quibus capricorni fixerunt domicilium, & accipitres suum capiunt refugium. Non est huic stellæ datum in se tantum continere potentiæ, aut tam pretiosum ex se formare lapidem: idem tamen ego affirmo, insignem medicinam in ea latere absconditam, quæ ex ea confici possit. Fit autem stella hac ratione.

Recipe antimonii Hungarici partes

*partes duas; chalybis partem unam: hæc liquefiunt cum quatuor partibus tartari usti, & funduntur in scypho ferreo, quo utuntur aurifabri, dum aurum suum purgant. Dum refrixerit, exime regulum, & separa ab omni impuritate, & scoria. Tere hunc regulum subtiliter, & pondus ejus examina, & appone ei triplum tartari usti, funde, & effunde, ut supra, idque tertiùm repete, tum se purgat regulus, & evadit purus, & clarus. Nota autem, cum fusionem ritè perfeceris, ususque fueris encheresi, quâ decet, quod in hoc palmarium est, obtinebis stellam * pulchram, & ex albo* *Stella signata antimonii quomodo fiat.*

 mi-

* Hìc notandum. *In tertia fusione reguli ignem vehementer esse intendendum, ut intenso illo calore auferatur, si quid adhuc impuri apud regulum resideat,* atque ita regulum consequeris pulchritudine & candore argento comparandum, sed virtute, & pretio longè superiorem.

micantem, instar argenti capellati, non minus artificiosè distinctam, quàm si eam pictor quispiam diligenter circino dispartitus fuisset.

*Hæc stella cum sale armoniaco in * sublimatum rubrum redigitur; tinctura enim martis ascendit. Dum ejusmodi sublimatum, uspiam deponitur, fit ex eo liquor, qui miris in Chirurgia præstat viribus.*

Oleum liquidum ex stella signata. *Hic regulus, seu stella signata, sæpe cum angue lapideo per ignem deducitur ita, ut tandem se in eo consumat, & se prorsus uniat*

* *Hoc sublimatum antequam imponatur Caveæ, ut ibi resolvatur, purgandum est à sale armoniaco aqua distillata.* Parva sunt quæ moneo, sed horum, & istorum talium ignoratione magni committuntur errores, opusque cum sumptibus & impensis omnibus vel perit, vel saltem non reddit operæ suæ pretium.

*uniat cum * angue : hoc facto habet artis aſſectator materiam omnino calidam & ignitam, in qua ars plurima ſepulta latet. Hæc materia præparata ſe ſolvit in oleum : hoc ipſum oleum diſtillatione transfundi debet, & tum rectificari, ut ſit purum, & clarum.* Hoc oleum intus commodè & ſecurè aſſumi poteſt, at magnâ prudentiâ & cautione, nec ſæpius, quàm bis per hebdomadem, nec plus, quàm guttæ tres in duabus unciis vini, vel aliâ aqua ex herbis diſtillata, ſecundùm morbi exigentiam. Hanc ob cauſam Medici eſt, morbi cauſas, unà cum ægroti complexione præſcire, *Vires.*

* Anguis ejus naturæ eſt, ſi laxas, emergit, ſi ſtringis erumpit : idem hic vereor : ideò anguem vocat id, quod miſcet cum hoc regulo. Anguem autem lapidis, ſeu lapideum, quia ſal hîc, ut anguis lapidem libentiſſimè lambit.

quo remedia sua securiùs adhibeat.

Hæc est insignis * acrimonia, multa in se arcana complectens, sed nihil opus est imperitis omnia simul & semel revelare. Artes quædam supprimendæ sunt, ut Philosopho, qui iis indagandis improbum quotidie impendit laborem, secreta quædam, & arcana propria supersint. Qui autem vestigiis meis cupit insistere, non lasse-

tur

* Qui intelligunt quantæ utilitatis sit essentias ex metallis extrahere, non ignorant virtutes acris hujus olei: menstruum enim hoc est hanc ad rem unicum. Quot sunt, qui ætatem, quanta fuit, operationibus chymicis traduxerunt, & nunquam ad notitiam veri menstrui pervenire potuerunt; tibi jam revelatum est, eo tu, si sanitatem quæris, tutò uteris in corpore, si quid aliud votis audacioribus moliaris, & jam jam speras te compotem fore, hoc omnium est maximum ad thronum regni Chymici conscendendi adjumentum.

tur quærendo, ſed quod ego feci, faciat, & quod toties deſideravi, quodque tam calidis votis expetivi, mecum aſſequetur.

Principia hæc quæ vobis præſcripſi, ſufficiunt, ut finem ex iis perſcrutemini. Multi defecerunt, imo multi prius morte abrepti fuerunt, quàm tantum de principiis in tyrocinio ſuo erant aſſecuti: citiùs nimirum vitâ defuncti, quàm magiſterium artis adepti; atque ideo librum rudimentorum in initio edidi, ut artis ſtudioſus aſſectator, cui tanto tempore in primis experientiis erat opus, tantò citiùs ad deſideratum finem, & ſcopum optatum pertingat, mihique poſt Deum gratias agat.

In hoc oleo præterea latet effectus admirabilis; *ſi enim longo tempore circuletur, tandem* *Solutio cryſtallorum.*

cryſtallos arripiet, nimirum cum illæ tribus diebus, & totidem noctibus antea calcinatæ fuerint, & ex illis elicit ſalem, quo facto; hoc oleum iterum per retortam diſtillatur, & conſequeris medicinam quæ lapidem in veſica admirabiliter confringit, & expellit, multaque alia inſigni quadam virtute efficit.

Confringit calculum.

Ut autem de plumbo Philoſophorum etiam ſermonem inferamus, noverint curioſi naturæ indagatores, antimonio, & plumbo vulgari ſibi propinquam intercedere cognationem, arctamque inter ſe colere amicitiam. Quemadmodum arbor, quæ reſinam ſuam ſuperfluam, quod arboris ſulphur, eſt lateraliter ejicit, ut ceraſus, & arbores aliæ, quæ ejusmodi gummi edunt, ut & alia arborum genera, quæ propter abundantiam mercurii excreſcentiam

tiam quandam proferunt, & à ſe ejiciunt, quæ fructui earum nec formâ, nec viribus ulla ratione eſt ſimilis, ſed prorſus alias habet proprietates, ut in quercubus, & pomis apparet, quæ ſimiles fructus nothos, vel monſtra proferunt. Sic terra etiam ſimiles habet abortus, qui in ſeparatione à puris metallis ſecernuntur, & ejiciuntur.

Quamvis jam antimonio cum ſaturno tam arcta ſit cognatio: tamen propter nimium, quod in ſe habet ſulphur ab eo ejectus eſt, ita ut viſcoſum corpus ſuum in nativitate non potuerit ad perfectionem perducere, atque ideo inter mineralia neceſſe fuerit conſiſtere: eò quòd abundantia calidi ſulphuris effecerit, ut mercurius ejus defectu frigoris, quo repellitur, nec ad coagulationem pervenire, nec in malleabile corpus

Quid sit plumbum antimonii coalescere potuerit. Ceterum dico plumbum in antimonio non aliud esse, quàm suum regulum, qui nondum lentorem consecutus est, &, prout supra dixi, quando regulus, & chalybs per liquefactionem uniuntur, & in stellam conflantur, multi sunt, qui inde lapidem veterum Philosophorum volunt conficere; cui rei ego antea refragatus sum. Quæ autem medicinæ ex eo parari possint, jam antea breviter audivistis, quibus ego verbum non amplius addam.

Præparatio plumbi antimonii. At ratio, quod regulus plumbum dicitur, & habetur, hæc est. *Quod, quando sumitur regulus, quem antimonium in conficiendo vitro dat per se, & crucibulo benè clauso, qui igni possit resistere, imponitur, eique sal saturni, quod prius cum isto sale tribus horis cæmentatum fuit, apponi-*

*ponitur, & permittitur simul liquefieri in furno ventoso, * regulus*

gulus

* Non invidiose, quod faciunt Chymicorum plerique, sed affectuose cum Chirurgis agam: exoptans illis & mentem, ut velint, & facultatem, ut possint talia misere afflictis parare præsidia, & sanitatis compendia, quale parari potest ex hoc regulo. Vis prodam tibi mysterium? audi placidè, & utere. *Hic regulus per sal saturni redditus malleabilis, misceatur cum mercurii per saturnum condensati ana partibus æqualibus, & igne vehementi simul fundantur, atqui ita benè commisceantur, prodibit materia facie externâ argento similis, sed virtutibus suis internis omni argento nobilior, & pretiosior: funditur, vel malleo diducitur in quascunque formas aut statuas.* Sed tu Chirurge artis tuæ studiose, & gloriæ per artem cupide, illud diducas in laminam tenuem, & extrinsecus vulneribus, fistulisque malignis appone, stupebis, dum naturam videbis hac arte adjutam, plus exiguo tempore perficere, quàm tu per tot unguenta & emplastra tanto tempore potuisti sperare. Non ridebunt te amplius rustici, & exprobrabunt, ut Basilii verbis utar, se plus crudo, rancidoque laridi frusto efficere, quàm te omni artis chirurgicæ tam operoso choragio.

gulus dum eximitur, redditus sit lentus & ponderosior, quàm ante fuerat: accepit enim ponderositatem à spiritu salis, qui ei quoque lentorem dedit, adeo ut corpus illud jam compactum & grave sit redditum.

Plumbum antimonii & stella signata parum differunt.

Ideoque dico non multùm inter se differre stellam signatam, & plumbum antimonii: quæ tamen passim ut duæ res diversæ distinguuntur, utrumque enim ex vitro antimonii conficitur, & ad unam eandemque medicinam præparatur, uti jam satis est à me dictum. Hîc itaque sermonem hunc abrumpam, ut explicem, quid *lapis*, qui *ignis* dicitur, sit, postquam eam, quæ subsequitur appendicem declaravero.

Largire gratiam tuam Deus, & aperi corda graviter audientium, eisque impartire bene-

dictio-

dictionem tuam, ut te in omnipotentia tua, & mirabilibus operibus naturæ agnoſcant, tibi ad laudem, honorem, gloriam, proximo ad auxilium, ſolatium, & roboris confirmationem; ægrotis autem ad ſanitatis ſuæ reſtitutionem, amen.

APPENDIX.

CONcluſionis loco ſcias antimonium ad plures uſus alios adhiberi, quàm ad ſcripturam, quâ Typographi utuntur. Etiam ſub certa quadam conſtellatione & concurſu planetarum mixtura metallorum fit cum antimonio, ex qua ſignaturæ, & characteres funduntur, ſingularibus virtutibus prædita. Ex eadem etiam mixtura ſpecula conficiuntur, multorum & mirabilium aſpectuum & proprietatum.

Præterea nolæ & campanæ ex eo fiunt ſoni admirabilis. Item imagines hominum, & multa alia: *

Sed

* Quas in appendice hac tanquam per tranſennam tangit, & tranſilit vires & virtutes antimonii, tam multæ ſunt, & variæ, ut ne centeſima quidem earum pars hominibus adhuc ſit cognita; quæ ignoratio redundat haud dubiè in probrum & ignominiam generis noſtri, quod nos homines inter tot animantes ſoli rationis vi, & ratiocinandi facultate præditi, tanto impetu feramur in ſacram illam atque abominabilem lucri cupiditatem, ut vix cuiquam ſit otium mirabilia illa inveſtigandi, quæ author naturæ creaturis ſuis indidit; ſed nolo repetere næniam hanc toties à Valentino decantatam: iſtud tantum recogita: minerale hoc in quo ſpiritus latet tam admirabilis, ut hauriendo exhauriri non poſſit, etiam vires habere, quæ ſtudendo à nemine ſatis cognoſci valeant. Quæ extra Chymiam & Medicinam ego expertus ſum, pauca ſunt; talia tamen eſſe experientia me docuit, ut non putem antimonium aliis in rebus ſe præbiturum minus admirabile, quàm in Chymia & Medicina ſe exhibuit.

De

Sed cùm rebus hiſce nulla cum Medicina intercedat cognatio; ipſæque ordini, regulæque, & vocationi meæ non ſint propriæ, meritò vocationi meæ acquieſco, & res haſce aliis, qui norunt eas melius, tractare commendo.

De

De characteribus, tamen & ſignaturis, quæ concurſu conſtellationum quarundam confici poſſe dicit Author, quid ſentiam, hîc non aperiam: ſufficit me dicere non eſſe cognitam ullam inter omnia metalla & mineralia ſubſtantiam, quæ tantùm contineat cæleſtis ſpiritus, & tantam habeat cum aſtris ſympathiam, quàm antimonium. Appende hoc omnibus à me de antimonio dictis, ſed non leviter expende, & propera ad *lapidem*, qui dicitur *ignis*.

De Curru Triumphali antimonii, & quid ſit *lapis ignis.*

CUm me tempore quodam cogitatationum abundantia, quas interna & fervens ad Deum ſuggerebat oratio, ab omnibus terrenis negotiis liberaſſet, proponebam ſpiritualibus attendere inſpirationibus, quibus opus eſt ad accuratum naturæ ſcrutinium. Proponebam igitur parare mihi alarum remigium, quo ſydera alta peterem, atque * aſtra

* Danda hæc omnibus, qui de rebus arcanis tractant, eſt venia, ut ea quæ non ſciolis, aut irriſoribus, ſed dignis tantum, & ſyncero deſiderio ad ea adſpirantibus pandere volunt, ſingulari quodam, & parabolico ſcribendi genere declarent. Quò magis excuſandus Author noſter, quod, ubi pervenit

ſtra ipſa inſpicerem, id quod ab Icaro, patreque ejus Dædalo quondam factitatum, ſi antiquis Poëtarum ſcriptis habenda ſit fides.

Cùm autem ad ſolem propè nimis accederem, pennæ meæ nimio ejus ardore conſumebantur, adurebanturque, ut ex alto in profundum maris deciderim: ſed in extrema hac mea neceſſitate Deum invocanti, miſſum eſt cælitus auxilium, quod omni me periculo, & exitio præſenti eripuit. Angelus enim mihi properabat in auxilium,

nit ad myſteriorum, quæ hoc libro explicare propoſuit, maximum, ad parabolarum quasdam ſe conferat latebras, & pietatis cælo, quod omnia, etiam ſceleratiſſima ſolet tegere, ita obvelat ſecreta ſua, ut pii & ſynceri artis diſcipuli oculorum ſuorum acie penetrare poſſint nubes has. Tu ergo.

Dum fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri intellectuali quadam laſciviâ cum illo lude, non te illudet.

lium, qui aquis imperabat, ut quiescerent, & continuò apparebat in profunda abysso altissimus mons, quem deinde conscendi, ut in eo examinarem, an sit ea, quam homines jactant, inter superiora & inferiora * amicitia, & familiaritas: & an astra superiora eam nacta sint à Creatore suo potentiam, ut quidpiam sibi simile in terra producant.

Dum igitur omnia perscrutabar, inveni veritate, ut sic loquar, ipsa verius, quicquid veteres Doctores tot ab hinc sæculis scriptis mandaverunt, & discipulis suis, qui vero eos imi-

* Nemo unquam, qui in Chymiæ penetralia vel per transennam immisit oculum, hanc superiorum in inferiora negavit influentiam; nemo non manu ipsâ quasi tetigit: sit ergo Basilio id quam sanctè affirmanti, & toties experto apud eos, qui nondum obortâ luce adhuc palpando chymizant in tenebris, fides.

imitandi tenentur desiderio, tradiderunt. Quare Domino, ac Patri meo cælesti, ut par est, habui, egique gratias pro incomprehensibilibus operibus suis.

Omnia metalla & minéralia originem capiunt à Syderibus.

Equidem invenio, ut paucis rem exponam, omnia, quæ generantur in montium visceribus, ab astris superioribus infundi, & principium ab iis ducere ex nebula aquosa, fumo, vel vapore humido, quæ diuturnitate longi temporis ab astris cibata, & ab elementis in formam tangibilem redacta sunt. Porro vaporem istum exsiccari, ut aquositas dominium perdat, & ignis post illam auxilio aëris dominium retineat, ex aqua ignem, & ex igne & aëre terram produci, quæ etiamnum in rebus omnibus corpore constantibus ante separationem earum simul inveniun-

Materia prima omnium rerum aqua. niuntur. Hæc est ergo * materia prima omnium rerum, aqua scilicet, quæ exsiccatione ignis & aëris in terram formata est.

Jam verò cùm certum mihi sit, lapidem, qui *ignis* dicitur, atque ex antimonio conficitur, simul cum processu præparationis ejus describere, cùm ille non tantum homines, sed particulariter etiam metalla sanet,

ante

* Hæc cantilena est vetus, hæc summa est artis; ex hac naturæ imitatione inventus est, ex hac fit, si quando fiat minor hic *lapis ignis*: ex eadem magnus ille Philosophicus conficitur lapis. Hæc est Anaxagoræ aqua, Empedoclis ignis, Aristotelis materia prima, ex qua facta sunt, fiuntque adhuc hodierno die omnia. Quod in hominis nutritione, in arboris accretione, in metallorum generatione clarè patet: non enim ex cibo, pluvia, aut terra sumitur, sed aliunde in hæc infunditur, quod carnem, ligna, metalla constituit: illud ipsum alimentum est, quod omnia nutrit; sed ut ita variè specificetur, ab eo, in quo habitat corpore, segregari, alterique adjungi debet, quod arte præstatur Chymica,

ante omnia neceſſarium erit hæc capita attingere. Quid propriæ ſit lapis ignis ? quæ ejus minera ? an lapis ſine materia fieri poſſit, an non ? quænam ſit extrema lapidum differentia, & quot ſpecies eorum inveniantur ? & de uſu eorum denique.

In hoc meo propoſito illuminet me, quæſo, ſpiritus cæli, ut veram & ſynceram inſtructionem dem, quantum nimirum mihi fas eſt, & res ipſa permittit : ſpero equidem æternam abſolutionem ab illo meo ſummo Confeſſore, qui ab æterno poſſidet thronum miſericordiæ, & omnium rerum teſtimonium dabit, quando ſententia decretoria in judicio noviſſimo de omnibus hominibus ſine appellatione ulla pronuntiabitur.

Ante omnia igitur ſcias &

Quæ sit materia tincturæ antimonii. advertas, quod vera tinctura antimonii, quæ hominum metallorumque sit medicina, non fiat ex crudo & liquefacto antimonio, sicut apud Mercatores & Apothecarios prostat; sed ex minera extrahitur, prout ex montibus eruitur, & prius in vitrum formatur. Sed quomodo ea extractio fiat, hoc est opus palmarium, in quo ars tota consistit: qui eam rectè assequitur, ei sanitas & divitiæ paratæ sunt. *Quid sit lapis ignis.* Hoc autem diligenter advertes, mi lector, tincturam antimonii præparatam, fixam, & solidam, vel lapidem ignis, ut ego eam nomino, essentiam quandam esse puram, penetrativam, spiritualem, & igneam, quæ in materiam coagulatam reducta sit, Salamandro similem, qui in igne non consumitur, sed purificatur & conservatur.

Lapis tamen ignis non tingit universaliter, sicuti * lapis Philosophorum, qui ex ipsius auri essentia factus est. Nequaquam, hoc ei virium datum non est, ut tanta perficiat, sed tingit particulariter: nimirum lunam in solem, stannum item & plumbum, martem autem & venerem non attingit, neque ea dant plus, quàm ex illis per separationem effici potest. Præterea non potest una pars hujus tincturæ plus, quàm quinque partes transmutare; quæ persistunt in saturno, & antimonio ipso: ubi contra magnus lapis Philosophorum infinita

Lapis ignis tingit particulariter.

* Quantum cælum elevatum est à terra, tantum distat Philosophorum verus lapis ab hoc lapide ignis. Ipse candidè fateor, quamvis hunc invenerim, me toto cælo distare ab illo. Et hoc, quidquid est, sapientiæ Basilii refero acceptum. Tu vide ne à phantasia tua seductus desipias, & te aliosque decipias.

finita efficere poteſt: etiam in augmentatione non poteſt adeo exaltari, nihilominus tamen aurum eſt purum & ſolidum.

Minera ex qua hic, ſive lapis, ſive tinctura conficitur, nihil eſt aliud, quàm, ut ſupra attigi, ipſa terra antimonii: ex ea, inquam, fit, at quomodo fiat, quâ verò virtute, vi, & poteſtate polleat, mox audies.

Tincturæ particulares variæ. Animadvertat autem lector, multa inveniri lapidum genera, quæ tingunt particulariter; omnes autem pulveres fixos, qui tingunt, hîc lapidum nomine indigito, alius tamen alio tingit altiùs, ut imprimis lapis Philoſophorum, qui agmen ducit, hunc ſequitur tinctura ſolis & lunæ &c. in album: deinde tinctura vitrioli aut veneris, ſimiliter tinctura martis, quarum utraque tincturam ſolis in ſe habet, dum ad fixationem

nem reductæ ſunt : has excipiunt tinctura jovis & ſaturni ad coagulationem mercurii, ac tandem tinctura ipſius mercurii. Hæc eſt differentia, & multitudo lapidum & tincturarum, quæ omnes tamen ex uno ſemine, & una matre originali generantur, ex qua eadem ipſum verum univerſale profluxit, extra has verò nullam eſt reperire aliam tincturam metallicam. Imo res omnes, quocunque demum appellentur nomine, omnes lapides, ſeu pretioſi ſint, ſeu vulgares me non tangunt, neque quicquam modo de illis aut ſcribere, aut dicere in animo eſt; quandoquidem vires nullas, niſi ad medicinam ſpectantes in ſe contineant. Nihilo magis nunc animalium, aut vegetabilium lapidum mentionem faciam, quia ad medicinam tantum

conducunt: ad opera verò metallica inutiles, omnisque virtutis sunt expertes: quorum omnium virtutes & mineralium, & animalium, & vegetabilium omnes in unum collatas lapis Philosophorum complectitur.

Salia sunt tincturarum claves. Salia verò nulla tingendi vi prædita sunt, sed tantum sunt * claves ad præparationem lapidum, ceterum quantum ad se nihil efficere possunt. Attamen

* Claves, ut rectè hîc dicitur, sunt salia; aperiunt arcam, in qua latet thesaurus, ipsa thesaurum non constituunt. Videndum autem, ut veram sumas clavem, ne claustrum corrumpas, & arcam non aperias. More Apothecariorum in hac re *quid pro quo* sumere tutum non est. Clavis sit philosophica oportet, sumanturque salia propria ad aperiendum accommodata, nec contemnas illam, quæ insinuatur distinctionem inter salia aperientia, quas hîc vocat, uti sunt claves, & salia figentia, quæ ipsum ingrediuntur thesaurum, ut satis patet ex textu.

men quod ad metallica ſalia pertinet (jam rem dico, ſi rectè intelligas, quam diſtinctionem inter ſalia mineralia ponam) ea parvi facienda non ſunt, neque à tincturis rejicienda, cùm iis in earum compoſitione nullatenus carere poſſimus, in iis enim latet theſaurus ille pretioſiſſimus, à quo omnis fixatio ſuam ducit originem.

Petent hîc nonnulli, & quidem jure meritiſſimo. An lapis iſtiusmodi absque materia confici poſſit? Reſpondeo negando, unaquæque enim res ſuam habeat materiam oportet; ſed non ſine diſtinctione. Animalia enim ſuam, vegetabilia ſuam, ſuamque mineralia requirunt: tantum hoc advertas, & ante omnia obſerva, nullum corpus extra fermentationem (quam ego in fine operis, quantum attinet ad præpa-

rationem magni lapidis dissuadere non possum, si velim metalla cum lucro convertere) utile esse ad ullum lapidem: quamvis enim in principio forma corporea, atque ens corporale, visibile, & tangibile assumatur, tamen ex illo formali corpore, elici debet spiritualis, & cælestis quædam entitas, dicam, an apparentia, aliud enim, quo id appellem, nomen non occurrit, quæ entitas antea per astra isti corpori infusa, & per elementa perfecta & concocta fuit; hæc autem spiritualis entitas iterum per ignem minorem, & regimen, ac directionem microcosmi iterum ad tangibilem, fixam, solidam & in consumptibilem materiam reducenda est.

Sed quid ago, aut quid loquor? quasi extra me ratio-

nem-

nemque * omnem positus, in libero campo habenas ori meo laxo: si namque mihi vel ratio constaret, vel judicium, non tantos oris panderem hiatus,

O 5 ma-

* Satisne sanus es Basili, qui ita prostituas lapidis arcanum, hactenus tam diligenter ab omnibus Philosophis absconditum? certè nisi te agitaret, nescio quæ mentis intemperies, claustrum ori tuo apponeres, nec tam clarè aperires, quid sit purum ab impuro separare, quid fixum volatile reddere, & rursus illud figere: quomodo inferius, fiat superius, & idem rursus mergatur in profundam abyssum, unde evolaverat. Tot tam brevibus verbis pandere mysteria, quemadmodum hîc facis, si non insania est, certè ingens quædam erga posteros est benevolentia. Hoc profectò est: hac affectione arsisse videtur Valentinus, & non potuisse superare inclinationem illam benefaciendi quàm plurimis, per impositam Philosophis omnibus obligationem celandi arcanum illud naturæ mysterium, quod ab ejus Authore, id est, natura naturante intellectuali revelatione communicatur tantum filiis artis dignis & electis. Excidit secretum secretorum Basilio; tu lector attende, invenisti margaritam, non sis Æsopi gallus gallinaceus.

manuique, ne ſcribendo pergeret, imperarem.

Tincturis amor metallorum in generandus eſt.

Omnes tincturæ metallorum eâ ratione præparari debent, ut præcipuo quodam ferantur erga metalla amore, & propenſionem, deſideriumque habeant ſeſe cum illis uniendi, eaque in meliorem ſtatum reducendi. Vis emblema, ſeu exemplum? ecce tibi in hominibus. Si qui duo mutuo amore inflammentur, nec mora invenitur, nec requies, donec uniantur, deſiderioque ſuo faciant ſatis: poſt hanc unionem quieſcunt, & multiplicantur ſecundùm Dei beneplacitum, & benedictionis promiſſionem.

Homo vivit multis & periculoſis morbis obnoxius, quorum nonnulli vires naturæ ita debilitant, & conſumunt, ut homo nullis remediis poſſit perfectè ad ſanitatem, priſtinasque

nasque vires revocari. At amor morbus eſt, quocum nullus aliorum morborum comparari poteſt, qui non ſanatur, niſi productione ſibi ſimilis, quod utraque natura deſiderat, quod deſiderium non ſedatur, niſi expletâ voluntate accenſæ cupidinis. *Parerga multa de amore.*

Quot hodieque teſtes reperiuntur hujus, quæ amori ineſt, violentiæ? nec enim juniores tantum accendit, ſed etiam provectæ ætatis homines quosdam ita exagitat, ut præ ardore ejus prorſus inſanire videantur. Morbi naturales complexioni hominis plerumque attemperantur, adeoque in alios ferociùs incurrunt, mitiùs in alios: amor verò nullo diſcrimine pauperis, aut divitis, juvenis, aut ſenis, omnes corripit, correptos ita excæcat, ut omnia ſus deque habeant, & nullum

vel videant, vel timeant lapſum. Morborum aliorum ſymptomatibus ſingulis ſingula infeſtantur membra, reliquis in ipſo dolore ſanis & rectè valentibus: amor quos inficit, totos pervadit, corpus, totamque corporis ſubſtantiam, formam & eſſentiam omnem penetrat, nec quicquam inoffenſum relinquit; in corde enim locum capiens, ibi focum accendit, cujus ardor per venas, arterias, omniaque corporis membra diffunditur: & ut verbo dicam, ubi amor ſemel radices egit, homo ita ab omni ſenſu, ratione, intellectuque abducitur, ut omnium obliviſcatur, nihil penſi habeat; Dei, legisque Dei immemor, promiſſiones ejus, juxta ac minas vilipendat, inferni tormenta, vitæ æternæ præmia ludibrio habeat, (loquor de amore inordi-

ordinato & illicito) cui, qui eo ſemel occupatus eſt, ita adhæret mordicus, ut nihil illum abducat, nihil avellat; officium, vocationem, & conditionem ſuam obliviſcitur; omnem admonitionem irridet; parentum, ſuperiorum, aliorumque, qui benè ei volunt, conſilia ſpernit; verbo ut dicam, amore ſic excæcatur, ut non videat miſeriam ſuam, ſic exſurdeſcit, ut non audiat eos, qui fidis monitionibus damnum, & exitium ab eo conantur avertere: nihil in homine ſanum, vel integrum relinquit amor: impedit ſomnum, ne nocte magis, quàm die quieſcat, eripit appetitum, ut neque cibum, neque potum ſumere libeat, propter aſſidua cordis animique tormenta: privat omni providentiâ, hinc res ſuas, vocationem officiumque negligit, nec laboris, nec ſtu-

dii, orationisque recordatur, omnia abjicit, ſolum corpus amatum deperit, hoc ſtudium ejus, hæc occupatio vaniſſima. Si verò vel non ſuccedit amatoribus ex voto, vel non tam citò & proſperè, quàm deſiderant, quot hinc melancholiæ, dolores, mœrores, quibus ita macerantur, & evaneſcunt, ut vix hæreant oſſibus, imo tandem vitam ipſam amittant, quod quàm multis probari poſſet exemplis! iſti enim tales, quod vel cogitatu horrendum, pro nihilo habent omnia cùm corporis & vitæ, tum animæ & ſalutis æternæ pericula & detrimenta.

Sed de his ſatis, hominem enim religioſum non decet iis cogitationibus diutius inhærere, aut iſti flammæ locum in corde concedere, & hactenus, abſit verbo jactantia, ego me

ab

ab ea incolumen toto vitæ meæ curriculo conſervavi, & Deum precor, atque invoco, dignetur mihi præſtare gratiam, ut ſponſâ meâ ſpirituali, quæ ſancta eſt Eccleſia Catholica contentus, ei fidem, quam juravi, ſanctam præſtem & inviolatam.

Neque hæc alio fine allegavi, quàm ut exprimam amorem, quo omnes tincturæ ferri debent erga metalla, ſi unquam ab iis in veram amicitiam ſint admittendæ, & amore, qui ad ima penetret, ſint in melius convertendæ.

Jam ad præparationem lapidis gradum faciamus, differamusque uſum ejus in finem. Lapis hic naturæ penetrativæ & ignitæ igne ipſo coquitur, & ad maturitatem perducitur, non ſecus ac cetera omnia, quæ in hoc orbe reperiuntur;

quæ

quæ tamen, ut diversæ naturæ sunt, ita modis diversis id consequuntur, sicut diversos etiam ignes rerum natura suppeditat.

Ignium variorum differentiæ. Primus ignis cœlestis est, à Deo accensus in cordibus nostris, quo ferimur inflammato quodam amore, & certâ fiduciâ in Deum verum Creatorem nostrum, in sanctissimam & incomprehensibilem Trinitatem, & in misericordiam gratiamque Servatoris nostri Jesu Christi, quæ fiducia accensa amore nunquam nos fallet, nunquam in necessitatibus deseret, sed certò certiùs liberabit animas nostras ab exitio sempiterno.

Alter ignis elementaris à sole productus est, & eò tendit, ut omnia ad maturitatem perducat in macrocosmo.

Tertius ignis est corporalis, quo omnes cibi & medicinæ coquun-

coquuntur, & præparantur, ſine quo homines nec corporis ſanitatem, nec vitæ ſuſtentationem obtinere poſſunt. De quarto igne mentio fit in ſacris paginis, qui ſcilicet ante ſupremum Dei judicium hunc mundum viſibilem conſumpturus eſt: quis autem ille, & qualis futurus ſit ignis, id, ſiquidem ſapimus, ſupremæ illi Majeſtati judicandum relinquemus. Quinti autem ignis in iiſdem, quibus Dei verbum continetur, paginis mentio facta eſt, ignis, puta æterni, quo in illo nunquam finiendo, nunquam ſolvendo carcere infernali diaboli, & ſocii eorum homines pravi, ignibus iſtis æternis addicti, vexabuntur, punientur, & miſerè cruciabuntur æternùm; à quo igne nos ſervet, precor, omnipotens & miſericors Dominus. Ego autem

omnes

omnes & singulas ratione prædítas creaturas vivâ voce admonitas velim; ut precibus suis quotidianis eam efflagitent ab Omnipotente gratiam, & misericordiam, ut vitam suam ita possint divinis præceptis, officioque suo conformare, ut ignem hunc, & æterna ejus tormenta possint evadere.

Lapis ignis igne corporali maturatur.

At lapis noster ignis, quod notandum est, coqui & maturari debet igne corporali in microcosmo, quemadmodum ceteræ medicinæ, & cibi eodem præparantur. Ubi enim cessat ignis magnus macrocosmi ab operatione sua, ibi microcosmus novam incipit producere generationem, ideoque nemini mira videbitur hæc concoctio. Frumentum augetur, & maturescit igne elementari macrocosmi, sed igne corporali microcosmi nova de-

mum coctio, & maturatio efficitur, ut homo possit eo divûm munere uti, & frui ad sui sustentationem, quo ultimum & minimum, quod ex primo & maximo productum est, sua possit perficere.

Verum oleum antimonii, ex quo lapis ignis dictus conficitur, supra modum est dulce, & à terra sua eo modo purgatur, & separatur, ut si vitrum eo plenum soli exponatur, varios, mirosque projiciat radios, tanquam si multa ignita specula in cubiculo adessent, pyropum, aliosque colores referentia. Nunc arrige aures Philomathe, & Philalethe, & audi quod te docebo.

Accipe in nomine Domini mineræ antimonii, quæ post ortum solem creverit, & salis nitri ana partes æquales, tere subtiliter, & misce, tum igni moderato impone, *Praxis lapidis ignis.*

ure

*ure simul enchere si commodâ, in qua præcipuum consistit operis, remanebit materia ad nigrum vergens, ex ea confice vitrum, id vitrum tere subtiliter, & extrahe ex eo altam istam tincturam rubram acri aceto distillato, quod ex propria minera factum est, extrahe acetum distillatione in balneo, remanebit * pulvis, quem iterum extrahes spiritu vini summè rectificato, tum remanent fæces, & habes extractionem pulchram, rubram, dulcem, quæ magno in Medicina est usui, hoc est purum sulphur antimonii, quàm fieri potest optimè separatum. Si hujus extractionis habeas libras duas, sume salis antimonii, prout te docui præparare, uncias quatuor,*

* Cave, cave, Philochymice, ne igne hoc alas avis tuæ, quæ jam in altos sese erigebat montes, aduras. Intelligenti pauca, nihil opus est inculcare eadem toties, satis id facit sollicitus Pater Basilius.

tuor, bisque superaffunde extractionem, & circula, ut minimum mense integro in vase benè clauso, & sal se uniet cum extracto sulphure; si fæces deposuerit, eas separa, & extrahe rursum spiritum vini per balneum mariæ, pulverem, qui remanet artifici, pelle igne vehementi, transibit non sine admiratione multicolor dulce oleum, gratum, pellucidum & rubicundum. Rectifica hoc oleum iterum in balneo mariæ, ita ut quarta pars inde proveniat, & tum est præparatum.

*Hac absolutâ operatione, sume vivum * mercurium antimonii, quem*

* Quod toties ambiguum te reddidit verbum *mercurius noster*, etiam hìc intelligendum est: nisi enim sumpseris verum Philosophorum mercurium, nihil ages. Quis hic sit, qui tibi candidè dixerit, hic tibi erit Pylades, tu illi Orestes, & nihil mihi in vita erit jucundius, quàm me vobis tertium adjungere amicitiæ socium.

quem te docui, quomodo conficeres, & affunde oleum vitrioli rubicundum, factum super ferro, & summè rectificatum, aufer distillatione in arena phlegma à mercurio, tunc assequeris præcipitatum pretiosum eo colore, quo nunquam visum est gratius, & in chronicis morbis, apertisque vulneribus ad sanitatem recuperandam utiliter usurpatur: exsiccat enim vehementer symptomaticos humores, unde morbi martiales proveniunt, in quo spiritus olei, qui apud mercurium manet, eique se conjungit, & unit, vehementer juvat.

Sume hujus præcipitati, & olei dulcis superioris antimonii partes æquales, infunde simul in phiala benè clausa, præcipitatum se in oleo cum tempore resolvet in calore idoneo, & se fixabit: phlegma etiam per ignem absumitur,

&

*& fit ex eo ruber, ſiccus, fixus, & fluidus * pulvis, qui ne minimum quidem ex ſe dabit fumi.*

Jam agam, mi apoſtole, & arcanorum diſcipule, loquarque more Prophetico. Quando ad hunc finem perduxiſti ſtudia tua Philoſophica, eâ, quâ tibi præſcripſi, ratione, habes medicinam hominum, & metallorum; eſt grata, & dulcis in uſu, extra omne periculum, eſt penetrativa, nec movet ullas ſe-

*Procul hinc, procul eſte profani, & vos, Chymicis ſacris initiati, animis linguiſque favete. Intrat Rex in thalamum ſuum, ut conſummet matrimonium. *O tua te quantis attollet gloria rebus Connubio tali!* Ne tamen feſtines nimis intrare, aut turbare conjunctionem hanc maritalem, multis menſibus ſe oblectabunt ſimul mutuis amplexibus, nec exibunt, niſi ex mutuo amore in hermaphroditum corpus mutati ſint, & produxerint optatum illum omnibus filium, ſi non Regem Regum, at ſaltem Regulum, qui morbis & egeſtate ſublevet ſubditos ſuos.

ſedes, adfert emendationem, & expellit malum; utere eâ, prout oportet, & adferet tibi commoda multa, tam ad ſanitatem, quàm ad temporalem neceſſitatem, quo fiet, ut ſis extra indigentiam in hoc mundo, quæ res tanti eſt, ut nullum inveniri poſſit ſacrificium gratitudinis, quo penſetur hæc Dei erga te indulgentia. Hîc ego, mi Deus, ut homo religioſus angor animo, neſcio enim an benè, an perperam facio, an ultra terminos debitos * loquendo provehar, an citra ſubſiſtam; interim propono, & unicuique quaſi domum ſuam adduco. Tu juvenis artis ſectator inquire, & experire, ut

* Nimis ſibi multa dixiſſe videtur Author noſter, quod ſi tu idem ſentias in triſtitia ejus gaudebis. Mirum autem eſt, neminem tantillum lucis attuliſſe huic Philoſophiæ, quin ſtatim eum pœniteat.

at ego feci: si scopum attingis, Deo summas, & post Deum mihi Præceptori tuo gratias age; at si abis in semitas devias, vel avias, tuâ id facis culpâ, tibi imputa, me missum face, nec enim tui sum reus erroris.

Jam satis dixi, satisque scripsi, & docui tam clarè, tam apertè, tam luculenter, ut scriptis id fieri possit nec manifestiùs, nec dilucidiùs, nisi perditus quis & temerarius sciens volens se ad inferos velit præcipitare, ut ibi submergatur, & pereat; quia à rerum Creatore severissimè est interdictum hæc ulteriùs recludere, & comedere de arbore, quæ plantata erat in medio Paradiso. Hîc igitur interjungam parumper, donec alii indicaverint, quid hîc mihi faciendum, quid omittendum censeant,

ſuperſedeamus ergo de hoc loqui, & transeamus ad uſum.

Scias ergo uſum conſiſtere in obſervatione perſonæ complexionisque ejus, quantum ad valetudinem humanam pertinet, ut nimiâ quantitate natura non obruatur, nec nimis parvâ non juvetur. Nimietas tamen non adeo religiosè timenda eſt; non enim nocet facilè, quia juvat ad recuparandam ſanitatem priſtinam, & repugnat veneno, ſi quod fortè lateat. Hoc tantum addo, tria, aut quatuor grana, unicâ doſi exhibita, ſufficere ad omne malum depellendum, uſurpata in ſpiritu vini; perrepit enim lapis hic, aut tinctura omnia membra corporis, & in ſe continet multorum arcanorum virtutes; aufert vertiginem capitis, & omnes morbos, qui ex pulmonibus originem ſumunt; pellit difficul-

Vires.

cultatem anhelitus, & tussim, lepra mirum in modum eâ emendatur, uti & morbus Gallicus; sæpe eâ curatur pestis, icterus, hydrops, & febrium omnia genera, etiam pellit venenum assumptum; etiam iis prodest, qui philtrum aliquod assumpserunt, confirmat membra omnia, cerebrum, caput, & omnia ab iis dependentia; prodest stomacho, & hepati; sanat morbos omnes, qui ex renibus originem ducunt; purgat immundum sanguinem; etiam hæc tinctura antimonii comminuit lapidem vesicæ in pulverem, eumque expellit: etiam urinam promovet, dum à flatibus sistitur: restituit spiritus vitales, curat suffocationem matricis, menstrua facit, ut fluant, eademque sistit, si nimium abundent, dat fœcunditatem, & semen reddit sa-

num valensque, tam fœminis, quàm viris; hic lapis ignis denique intrinsecus assumptus, si apponantur extrinsecus emplastra convenientia, sanat cancrum, fistulas, cariem in ossibus, & omnia ulcera corrodentia, & quidquid à sanguinis immunditia originem capit, etiam ipsum morbum *noli me tangere* dictum, & ut brevibus complectar, hic lapis instar tincturæ particularis * remedium

* Vires medicæ hîc decantantur: supponit enim Basilius te non avaritiæ sordibus inquinatum, sed luce charitatis splendentem, ac proximi juvandi ardentem desiderio, eum arcana pandentem esse secutum. Vale jam Philochymice, & si quid vel ex interpretatione Basilii, vel ex commentariis meis accepisti lucis, eo fruere, & filiis artis communica, ut resuscitetur tot jam sæculis oppressa sub avaritiæ intolerabili jugo Philosophia, & redeant illa Ægyptiorum tempora, quibus non terminis inanibus, sed mirabilibus operibus philosophabantur Trismegistus, & tot sapientes Magi.

dium est ad omnia symptomata, quæ humano corpori possint accidere, id quod experientia tibi clariùs monstrabit, viamque ulteriorem aperiet, siquidem Medicus sis à Deo ad id officium vocatus.

Atque hæc de antimonio pro me, quantum puto, scripsi satis superque, si quis me sequatur, ille sua hisce adjungat, ut mysteria ante mundi consummationem revelentur Dei singulari indulgentiâ ad gloriam & honorem ejus, & conservationem sanitatis. Hisce jam me ad tempus silentio involvo, & redeo ad Monasterium, ut ibi Philosophię ulteriori dem operam, quo de aliis rebus possim commentari: & quemadmodum dudum promisi Deo permittente de *vitriolo*, *sulphure vulgari*, & *magnete* scribam, principiumque eorum, vires,

operationes, & virtutes aperiam.

Deus cæli terræque Dominus concedat nobis hîc temporalem ſanitatem, & poſtea ſalutem æternam ad animæ noſtræ refrigerium in ſedibus gaudii & lætitiæ, nullis unquam temporis finibus terminandæ, Amen.

Ita concludo tractatum de antimonio, & quicquid ſcripſi de rubro oleo antimonii, qui ex ſulphure ſummè purificato conficitur, & de ſpiritu, qui ex ſale ejus præparatur. Adverte animum ad ea, & confer cum iis hæc poſtrema, quæ de lapide ignis tibi præſcripſi, ſi acutè ea conſideres, hac comparatione facilè unionem usque in finem reperies: idem enim eſt fundamentum, eadem ratio, eadem amicitia, quo ſalus acquiritur, & cervus diu quæſitus jucundá venatione capitur.

IN-

INDEX RERUM

in memorabilium.

A.

Bal-

B.

C.

D.

E.

F.

H.

I.

L.

M.

Ma-

Mi-

Præ-

Q.

R.

Spa-

Va-

V.

FINIS.

80. [illegible]

I (28)

24.—

Coll. 5 gemalt,
Kupfer
IX (60 G.)

12